Pamph.
Gk. lit.
Hist.

Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

una cum thesibus

die III. mensis Octobris anni MCMVI hora XII

publice defendet

Guilelmus Felsch
Borussus

Adversarii erunt:
A. Eichenberg, Dr. phil.
E. Kunert, cand. phil.

Vratislaviae
M. et H. Marcus
MCMVI

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Riccardus Foerster

Commentatio integra propediem edetur in **„Breslauer Philologische Abhandlungen“** vol. IX. fasc. 4

PARENTIBUS OPTUMIS
SACRUM

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quibusartificiis00fels

Quantopere viri docti ante Lessingium atque in primis Francogalli in interpretanda Aristotelis arte poetica a recta via aberraverint, nulla re melius illustrari mihi videtur quam quod Aristotelem praescripsisse docebant, ut in tragoedia perfecta unitates illae tres et loci et temporis et actionis observarentur. At praeterquam quod Aristoteles cum librum illum scriberet, haudquaquam legem ponere animo intendebat, quam si secuti essent poetae cuiusvis aetatis nunquam erravissent[1]), re vera docet tragoediam id spectare, ut intra unum solis circuitum versetur (A. P. 1449 b 13-14 *πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν*), de uno vero loco qui dicitur tacet.

Neque vero cum veri sit simile eos qui quod unitates illas observarent, Aristotelem ipsum sequi sibi viderentur, sine ulla scientia tragoediarum Graecarum ad leges illas persequendas esse adductos, primum quidem paucis disquirere mihi proposui, utrum sententiam illorum rectam esse verbis poetarum ipsorum posset demonstrari necne, deinde, si poetae tragici Graeci illam rationem sunt secuti, quibus usi artificiis effecissent, ut per totam fabulam unus et dies et locus teneretur.

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, commentationes illas afferam, quibus et hic illic aliquid quod ad hanc quaestionem faceret prolatum est et singula planius sunt explicata:

---

[1]) A. W. v. Schlegel, Vorlesungen über dram. Kunst u. Literat., 18. Vorlesung: *„Man bemerke zuvörderst, dass Aristoteles hier gar keine Vorschrift gibt, sondern nur historisch ein Kennzeichen erwähnt nach den griechischen Beispielen, die er gerade vor sich hatte“.* Praeterea cf. Wilamowitz, Eur. Herc.[1] I p. 48.

I. O. Nilsson, De mutationibus scenae, quae sunt in fabulis Graecorum, Lund. 1884 diss.

A. Müller, Lehrbuch der griech. Bühnenaltertümer, Freiburg i. B. 1886.

Wilamowitz, Die Bühne des Aischylos, Herm. XXI (1886) p. 597 sq.

Todt, „Noch einmal die Bühne des Aischylos", Philol. N. F. II (1889) p. 505 sq.

Neckel, Das Ekkyklema, Gymn.-Progr. Friedland i. M. 1890.

Richter, Zur Dramaturgie des Aeschylus, Leipz. 1892.

Bodensteiner, Szenische Fragen über den Ort des Auftretens und Abgehens von Schauspielern und Chor im griech. Drama, Jhb. f. kl. Ph. XIX Suppl. (1893) p. 639, ubi commentationes priores accuratissime recensentur.

Weissmann, Die scenische Aufführung der Dramen des V. Jahrhunderts, München 1893, Diss.

E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, Leipz. 1896.

Dörpfeld-Reisch, Das griech. Theater, Athen 1896.

Wilamowitz, Aischylos Orestie, 2. Stück, Berl. 1896.

„ Die Perser des Aischylos, Herm. XXXII (1897) p. 382 sq.

Robert, Zur Theaterfrage, Herm. XXXII (1897) p. 421 sq.

Wilamowitz, Griechische Tragoedien, vol. I, Berlin 1899, vol. II, Berlin 1900, vol. III, Berlin 1906.

Quae alia ad hanc commentationem perficiendam mihi subsidio fuerunt scripta suo loco afferam.

I.

Ac primum quidem disquirendum est, utrum Aristoteles et qui eum secuti sunt recte observaverint tragoediarum Graecarum actionem spatium unius diei non excedere.

Qua de re perscrutanda primum accedamus ad Aeschyli Supplicum fabulam, quippe qua antiquior tragoedia non exstet[1]).

Cuius fabulae initio primum diem esse nemo est qui negaverit; quae res, si modo opus est argumento, eo fulcitur, quod chorus iussu patris Solem apprecatur (v. 213: *καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου*). Atque postquam res tam continuo cursu processerunt, ut alterum vel tertium diem interea ortum esse credi non possit, Danaus ubi primum Aegyptiades ex alto orae appropinquantes vidit, filias ne timeant illos cohortatur v. 768—69:

ἄλλως τε καὶ μολόντες ἁλίμενον χθόνα
ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου.

Cum igitur nox non procul absit, Danaus peritissimus ille rei navalis classem non iam appelli posse persuasum habet. Nihilo minus hostes eodem die naves ad oram appellunt; vix enim Danaus abiit, cum chorus timidis vocibus spectatores docet illos iam in terram pervenisse (v. 825 sq.). Postremo adventus praeconis, auxilium regis Pelasgi, denique omnia tam arto conexu inter sese sunt coniuncta, ut pro certo haberi queat actionem huius fabulae spatio unius diei contineri.

Neque alio modo in Persis Atossa senes de fortuna Xerxis colloquentes adit, ut iis explicet, quibus somniis sit excitata. Cui dum chorus suadet, ut deos et Dareum mortuum libationibus consulat, exercitum Persarum magna pugna victum esse nuntiatur. Quo facto Atossa umbram mariti ex inferis evocat, qui uxorem in regiam reverti iubet, ut filio redeunti novas praebeat vestes. Vix autem Atossa scaena decessit, cum Xerxes ex Graecia reversus cum choro cladem illam ingentem communicat. Quae cum ita sint, Persas fabulam legi illi Aristotelicae convenire si minus ex verbis ipsis, attamen ex rebus peractis colligendum est.

Idem demonstratur Septem adversus Thebas fabula. Cuius tragoediae initium non ita multo post lucem exortam ponendum esse mihi videtur. Eteocles enim cives in arcem convocavit, quibuscum quae vates nuntiavisset communicaret: hostes nocte consilium cepisse impetum vehementissimum in urbis portas faciendi (v. 28—29):

---

[1]) Cf. A. Koerte, Mélanges Nicole, Genf 1905, p. 289—300.

λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαϊδα
νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν πόλει.

Neque dubitandum est quin vates illis de consiliis hostium regem nocte ipsa edocuerit; nam Eteocles statim nuntios miserat qui quidnam agerent hostes disquirerent (v. 36 sq.). Mox nuntius redux factus longa oratione explicat ea quae vates universe significaverat:

v. 40—41: ἥκω σαφῆ τἀκεῖθεν ἐκ στρατοῦ φέρων
αὐτὸς κατόπτης δ' εἶμ' ἐγὼ τῶν πραγμάτων.

Sed cum non credibile sit Eteoclem cives noctu convocasse, sequitur, ut actio fabulae brevi post lucis ortum incipiat; quacum re consentit quod eodem tempore nuntius ex castris hostium redit.

Deinde oratio ab Eteocle ad chorum habita, descriptio septem ducum Argivorum, nuntius allatus fratres sese in vicem interfecisse — omnia inter se adeo coniuncta sunt, ut absurdum esset, si quis ullo fabulae loco spatium unius vel complurium dierum interpositum esse putaret.

Iam ut ad Oresteam transeam, initio Agamemnonis fabulae noctem esse e verbis custodis intellegitur his:

v. 4: ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν.

v. 26—28: Ἀγαμέμνονος γυναικὶ σημαίνω τορῶς
εὐνῆς ἐπαντείλασαν ὡς τάχος δόμοις
ὀλολυγμὸν . . . ἐπορθιάζειν.

Atque idem demonstratur versibus 12. 17. 23. Neque lucem procul abesse versus docent 264—65, quibus custos cupit:

εὐάγγελος μέν, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἔως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα.

Sed paulo post diem clarescere versu 279 indicatur:

τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω.

Atque etiam sequentibus versibus eundem diem atque antea teneri, qui est dies post Troiam captam, e verbis chori his cognoscimus (v. 489—92):

τάχ' εἰσόμεσθα λαμπάδων φαεσφόρων
φρυκτωριῶν τε καὶ πυρὸς παραλλαγάς,
εἴτ' οὖν ἀληθεῖς εἴτ' ὀνειράτων δίκην
τερπνὸν τόδ' ἦλθον φῶς ἐφήλωσεν φρένας.

Quibuscum versibus consentiunt loci hi: v. 476—77. 522. 530.

Hoc erat quod de tempore explicandum esse censerem; nam quin in reliqua fabulae parte dies idem sit qui antea, nemini dubium esse potest. Quin etiam statuere possumus fabula ipsa exeunte noctem nondum advenisse. Nam Aegisthus solem salutat (v. 1577), quod nisi cum luceat, intellegi non potest.

Sed etiam Choephororum fabulae actio mane incipit; nam chorus famularum se a Clytaemestra, quippe quae taeterrimis somniis nocturnis consternata esset, missum esse explicat, ut umbrae Agamemnonis libaret (v. 44—46):

τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν,
ἰὼ γαῖα μαῖα, μωμένα μ' ἰάλλει
δύσθεος γυνά.

Sed una cum rebus gerendis dies progreditur; nam servo fores regiae aperienti Orestes dicit (v. 660—62):

τάχυνε δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται
σκοτεινόν, ὥρα δ' ἐμπόρους καθιέναι
ἄγκυραν ἐν δόμοισι πανδόκοις ξένων.

Atque idem diei tempus indicatur versibus 710—711:

ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας ξένους
μακρᾶς κελεύθου τυγχάνειν τὰ πρόσφορα.

Quibus locis quamquam noctem vel vesperum iam appropinquare vidimus, tamen non cum Wilamowitzio[1]) colligere debemus noctem iam adesse, quod Aegistho trucidato servus ad portam Clytaemestrae his usus verbis contendisset (v. 882—83):

κωφροῖς ἀὐτῶ καὶ καθεύδουσιν μάτην
ἄκραντα βάζω. ποῖ Κλυταιμήστρα; τί δρᾷ;[2])

Quod si statueremus, paucis versibus post solem denuo exortum esse putandum esset; nam Clytaemestra interfecta Orestes exclamat haec (v. 984—86):

. . . ὡς ἴδῃ πατήρ,
οὐχ οὑμός, ἀλλ' ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος, ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς.

---

[1]) Aischylos Orestie, II. Stück p. 46.

[2]) Cf. Plaut. Stich. 311 sq.:

Vide quam dudum hic asto et pulto.
Somnone operam datis?

Sed ut illud argumentum praetereamus, num est credibile Clytaemestram postquam quod desideraverat, bene cesserit, securam dulci somno sese dedere eodem tempore quo Aegisthum de Orestis morte votis quam plurimis expetita certiorem fieri suspicatur?

Sequitur Aeschylum ut in aliis quas tractavi tragoediis ita etiam in Choephoris componendis legi illi Aristotelicae paruisse.

Quam rem molestum esse vinculum, quo materia copiosa non facile cogi possit, quis est qui negaverit? Quae cum ita essent, factum est, ut poetae tragici non omnia tam accurate atque perspicue explicare possent quam si nullo impedimento prohibiti essent, sed hic illic res satis libere et licenter tractare, quin etiam speciem rei factae perturbare cogerentur.

Quod Persis fabula quam optime demonstrari potest. Si enim comparabimus, quem ad modum hac in fabula atque in Herodoti libro VIII (cap. 97—98) clades Xerxis Susa renuntietur, poetam a rerum scriptore, id est a rebus ipsis, discrepare inveniemus.

Apud Herodotum enim postquam clades Salaminia enarrata est, scriptum legimus (VIII 97—98):

Ταῦτά τε ἅμα Ξέρξης ἐποίεε καὶ ἔπεμπε ἐς Πέρσας ἀγγελέοντα τὴν παρεοῦσάν σφι συμφορήν. Τούτων δὲ τῶν ἀγγέλων ἔστι οὐδὲν ὅ τι θᾶσσον παραγίνεται θνητὸν ἐόν.

Xerxes igitur post cladem ipsam acceptam suos de calamitate illa per nuntios certiores fecit, quibus tum nemo erat celerior. Contra in Aeschyli fabula Persae nescii sunt casus illius, donec nuntius advenit, quem Xerxes non prius miserat quam prope a Susis aberat.

Quibus causis Aeschylus ut res illas mutaret commotus sit, e consuetudine eius elucet. Si enim res ipsas gestas secutus esset, inter adventum nuntii atque regis ipsius longum temporis intervallum interponendum fuisset; nam praeterquam quod cursores Persicos multo ante in patriam pervenisse putandum est quam magnum Persarum exercitum, Xerxi vel maximi labores erant suscipiendi, quibus reditus praeter spem trahebatur.

Atqui dixerit quis: Quidni Aeschylus hac in fabula eadem utitur ratione qua in Agamemnone, ubi rex quamquam tempestate oppressus erat, tamen eodem tempore in patriam rediit

atque nuntius Troiae captae per ignes Clytaemestrae allatus?[1]) Cui erit respondendum in Agamemnone peragi res iamdiu praeteritas, in Persis autem eas quae quo modo peractae essent ab omnibus memoria tenebatur.

Quae cum ita sint, non est mirandum Aeschylum eo quod legem illam sequi studeat, haud raro adduci, ut res inter se diversissimas quae nullo modo eodem die fieri possint, in spatium unius diei contrahat.

In Supplicibus enim Danaus ubi primum Aegypti filios litori appropinquantes conspexit, filias timore liberare conatur eo quod fieri iam non posse dicit, ut hostes eo die naves appellant, praesertim cum sol iam occidat:

v. 768—70: *ἄλλως τε καὶ μολόντες ἀλίμενον χθόνα*
ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου· φιλεῖ
ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ.

Danao igitur, viro rei navalis perito, cum solem iam occidentem videat, est persuasum hoc diei tempore hostes iam non naves appulsuros esse; neque enim aliter intellegi potest eum in tanto discrimine rerum filias timore captas deserere. Si enim putavisset fore ut antequam rediisset, filii Aegypti in lucum pervenirent, nunquam loco decessisset (cf. v. 725 sq.).

Nihilo minus paulo post Danaïdes, quamquam interea noctem appetivisse putandum est (cf. p. 3), illos e navibus exeuntes conspiciunt (v. 825—35). Qua re quod supra dixi demonstratur Aeschylum diversissimas res unum in diem cogere.

Simile exemplum praebent Choephoroe, in quibus quamquam Orestes dixit (v. 660—61):

τάχυνε δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται
σκοτεινόν (cf. etiam v. 710—11),

tamen ipse versu 985, ubi diem iam longius processisse putandum est[2]), Soli quae commiserit facinora ostendit. Quam in discrepantiam rerum poetam hoc loco non alia de causa incidisse atque in Supplicibus satis apertum est.

Multo melius autem iis quas attuli tragoediis Agamemno fabula argumento esse mihi videtur, quantopere Aeschylus quod

---

[1]) Cf. p. 4.

[2]) Wilamowitz, Aischylos Orestie, II. Stück, p. 46.

finem unius diei excedere nolebat, speciem rei factae turbaverit. Apud Homerum enim epicum poetam, quippe cui nullis vinculis impedito res ita enarrare licuerit, ut fieri potuerant[1]), Aegisthum decimo anno belli speculatorem collocavisse legimus, qui Agamemnonem redeuntem exspectaret et ipsi nuntiaret (δ 524—28):

τὸν δ' ἄρ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε σκοπός, ὃν ῥα καθεῖσεν
Αἴγισθος δολόμητις ἄγων . . .
. . . φύλασσε δ' ὅγ' εἰς ἐνιαυτόν,
βῆ δ' ἴμεν ἀγγελέων πρὸς δώματα ποιμένι λαῶν.

Quam narrationem Aeschylus e parte dereliquit; nam ignibus in singulis scopulis accensis domum renuntiari facit Troiam captam esse. Quod ut mutaret, hac re commotus esse mihi videtur, quod illa renuntiandi ratio temporibus bellorum cum Persis gestorum usitatissima fuit[2]).

Quo modo quantopere species rei factae perturbetur, poetae nihil interest; nam qui fieri potuit, ut Agamemno eodem die in patriam perveniret quo ignes illi?

Tamen utramque rem in eundem diem facit concurrentem[3]) (cf. p. 4); quod quam sit absurdum, verbis poetae ipsius, quamvis occultetur, tamen hic illic elucet. Praeco enim classem redeuntem vehementissima tempestate oppressam esse renuntiat, qua singulae naves passim dispersae essent (cf. Od. γ 286 sq.). Quae tempestas ut orta erat nocte

v. 653: ἐν νυκτὶ δυσκύμαντα δ' ὠρώρει κακά,

ita prima luce resederat

v. 658—59: ἐπεὶ δ' ἀνῆλθε λαμπρὸν ἡλίου φάος,
ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος.

Quam rem praeco explicat, quasi non de nocte praeterita, sed de qualibet alia agatur. Nam si de illa faceret verba, eam clare sive pronomine demonstrativo sive alia ratione indicare debuit.

Neque alio loco huius fabulae poeta sibi constat: praeconi enim advenienti Clytaemestra haec narrat v. 587—91:

---

[1]) Cf. Arist. A. P. 1449 b 14: ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ.
[2]) Cf. Herod. IX 3, 4.
[3]) Cf. Schlegel l. c. XVIII. Vorlesung.

ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο,
ὅτ' ἦλθ' ὁ πρῶτος νύχιος ἄγγελος πυρός,
φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν.
καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε, „φρυκτωρῶν δίκα
πεισθεῖσα Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς“;

e. q. s. — Quae verba ut aptissima sunt, si Clytaemestra compluribus diebus ante de reditu futuro Graecorum certior facta cum aliis hac de re collocuta esset, ita sunt ineptissima, si ante nonnullas horas illud accepit; nam praeter chorum nemo aderat quocum de illis rebus (v. 587 sq.) sermonem consereret.

Denique aliud artificium idque notissimum paucis commemoro, quod poetae tragici ut res alio loco atque alio tempore gestas spectatoribus exponant, adhibent: „*ῥήσεις ἀγγελικάς*“ quae dicuntur[1]).

In Persis vero poeta pugnam Plataeensem uno fere anno post factam fabulae ipsi eo innectit, quod Dareum res futuras vaticinantem facit. Itaque mirum esse non potest, cur Dareus cum primum quidem se nescium esse omnium rerum antea gestarum simulaverit, iam peritissimus sit rerum futurarum: effici vult poeta, ut spectatores verbis Atossae de rebus initio fabulae, i. e. huic diei antecedentibus fiant certiores.

Atque altero quidem loco perscrutari mihi proposui, utrum Aeschylus fabulas ita composuerit, ut totam per fabulam idem locus teneatur necne.

Qua in re pertractanda non est praetermittendum, quantis difficultatibus scaenicis poetae tragici Graeci impediti sint, quo minus scaenam mutarent, praesertim cum chorus per totam fabulam in ea remaneret neque unquam — nonnullis quos infra tractabo locis exceptis — decederet[2]).

In Supplicibus enim repraesentatur lucus sacer prope urbem Argos situs, qui imaginibus deorum et ara est ornatus (cf. v. 33, 189—90, 208, 222, 332, 508). Quo quandoquidem Danaus cum filiabus confugit, quae per totam fabulam eum solum locum retinent (v. 508), rex revertitur, ut cum choro

[1]) De nuntii persona quidnam censeam, infra accuratius explicabo.
[2]) Cf. Schlegel l. c. XVIII. Vorl. (II p. 28 ed. Böcking).

consilium Argivorum communicet, atque de ipsa ara classem hostium conspicit; neque alio sese conferunt praeco ille aut rex Argivorum.

De Persarum vero scaena testimonium exstat; nam in argumento scriptum legimus hoc: *καὶ ἔστιν ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος παρὰ τῷ τάφῳ Δαρείου.* Fabula enim ineunte chorus senum Persicorum in scaenam procedit, ut de fortuna Xerxis eiusque exercitus colloquatur. Quem in locum convenerint, solis his verbis significatur vel potius occultatur v. 140—41:

ἀλλ' ἄγε, Πέρσαι, τόδ' ἐνεζόμενοι
στέγος ἀρχαῖον[1]).

Quem locum cum chorus usque ad fabulam exeuntem teneat, omnes personae adire debent; atque etiam Atossa postquam per nuntium de Persarum strage certior facta est, se sacrificiis perfectis ex aedibus regiis huc redituram esse pollicetur (v. 523—24):

ἔπειτα γῇ τε καὶ φθιτοῖς δωρήματα
ἥξω λαβοῦσα πέλανον ἐξ οἴκων ἐμῶν.

Atque quod promisit peragit v. 607—9:

τοιγὰρ κέλευθον τήνδ' ἄνευ τ' ὀχημάτων
χλιδῆς τε τῆς πάροιθεν ἐκ δόμων πάλιν
ἔστειλα . . .

Et ad idem „*στέγος ἀρχαῖον*“ Xerxes ipse ex Graecia reversus se confert, ut cum choro cladem illam queratur. Vidimus igitur, id quod argumento fulcitur atque comprobatur, per totam actionem locum esse eundem[2]).

Neque in Prometheo scaenam mutari inde colligendum est, quod Prometheus rupi affixus totam per fabulam scaenam tenet[3]).

In Septem vero fabula cum neque poeta ipse clare explicet, quem locum urbis Thebarum spectatores conspicere videantur neque argumento quicquam certi proferatur, in quo legi-

---

[1]) Wieseler, „Scaenica“, Nachr. d. Gött. Ges. 1890, p. 207 sq. Bodensteiner l. c. p. 649. Jurenka, „Szenisches zu Aeschylus' Persern“, Wiener Stud. XXIII p. 213 sq.

[2]) Cf. Todt l. c. p. 516 sq., et Wilamowitz, Herm. XXXII p. 382 sq.

[3]) Todt l. c. p. 505 sq., et Robert, „Die Szenerie des Aias, der Eirene und des Prometheus“, Herm. XXXI p. 561 sq.

mus „ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν Θήβαις ὑπόκειται", facere non possumus quin ex rebus ipsis illum locum enucleare conemur.

Initio enim fabulae vix Eteocles cives convocavit quos ad bellum inflammaret, cum nuntius advenit: hostes inter sese coniuravisse, ut vehementi impetu urbem opprimerent. Atque dum Eteocles statuas deorum in scaena positas (v. 94, 185, 212, 258, 265) precatur, ut urbem tueantur, chorus virginum timore perterritarum accurrit atque primis ipsis verbis se hostes conspicere appropinquantes significat v. 80—82:

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας·
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.

Qua re chorum apparet locum quendam tenere, de quo hostes si minus singulos, attamen universos conspicere possit. Atque idem demonstratur versibus 124—26, quibus chorus septem ducum Argivorum facit mentionem:

ἐπτὰ δ' ἀγάνορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσοῖς σαγαῖς πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.

Quae cum ita sint, haudquaquam potest fieri, ut forum Thebarum esse locum existimemus, quo res agantur[1]); illud enim media in urbe inter colles erat situm (cf. Arrian. Anabas. I 8,6), unde hostes qui extra moenia castra posuerant conspici non poterant. Atque chorum id quod de hostibus profert, re vera oculis videre, non fando audivisse pro certo est habendum, quod Eteocles quicquam de hostium consilio per urbem pervulgari vetuit (v. 250). Cui rei conveniunt versus 284—86:

ἐγὼ δ' ἐπάρχους . . .
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών,
πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους
λόγους ἱκέσθαι καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.

Atque locum quo chorus confugit sublimem esse ex ipsius verbis potest concludi his (v. 240—241):

ταρβοσύνῳ φόβῳ τάνδ' ἐπὶ σκοπὰν,
τίμιον ἕδος, ἱκόμαν (cf. v. 824).

---

[1]) Quod voluit Wilamowitzius, Herm. XXI p. 608, cuius sententiam correxit Bodensteiner l. c. p. 650 adnot. 1.

Sed cum nullus locus quo virgines possint confugere, tam firmus sit quam arx ipsa [1]), nullus Eteocli nuntiis accipiendis et civibus convocandis magis conveniat quam illa, non erit dubitandum quin scaena huius fabulae Cadmea ipsa vel uno ex montibus urbi ipsi imminentibus repraesentetur [2]).

Priusquam autem ad Agamemnonem fabulam tractandam redeam, explicandum erit, quo modo factum sit, ut inde ab anno fere quadringentesimo sexagesimo poetae plerumque aream illam regiae vel templo propinquam rebus agendis eligerent. Postquam enim, quantum quidem scimus, usque ad illum fere annum scaena pingi non solebat, tunc primum exornata est. Atque cum plerumque reges vel principes „*οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τῶν τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες*" (Arist. A. P. 1453 a 11) in fabulis essent, natura ferebat, ut taberna illa in qua actores antea vestimenta mutare solebant, regiae vel templi instar pingeretur. Qua de causa cum fieri non posset, ut interior pars tabernae spectatoribus ante oculos poneretur, fabulae ita erant componendae, ut ante aedes sub Iove agerentur.

Tamen reliquias illius usus antiquioris vel in Agamemnone remansisse crediderim, quod initio huius fabulae ut Danaïdes in ara, Persae in tecto illo (cf. *στέγος* v. 141) sedebant, ita custos in tecto aedium cubat. Atque ante hanc regiam fabula agitur, donec Clytaemestra Agamemnonem et Cassandram introducit, ubi quod e gemitu Agamemnonis spectatoribus colligendum est, ambo necantur. Quo clamore motus chorus in regiam irruere studet, cum ipsi conspicui fiunt, idque eccyclemate quod dicitur adhibito, quo poetae utuntur, ut res intra domum peractas spectatoribus eadem scaena servata ante oculos ponant. Cuius machinae testimonia exstant apud Pollucem (IV 128), in scholiis ad Aristophanem scriptis (cf. Acharn. v. 408), aliis locis. Atque quamvis Neckelius [3]), Reischius [4]), alii negare conentur eccyclema iam Aeschyli aetate usitatum fuisse, tamen

[1]) Schol. ad v. 240 *τὴν ἀκρόπολιν τίμιον ἕδος.*

[2]) Cf. etiam Todt l. c. p. 518 sq.

[3]) „Das Ekkyklema", Progr. v. Friedland i. M. 1890 p. 1 sq.

[4]) Dörpfeld-Reisch, Das griech. Theater, p. 240 sq. Pauly-Wissowa s. v. Ekkyklema.

pro certo habeo illud ab Aeschylo esse adhibitum[1]). Etenim nisi forte verba Clytaemestrae v. 1379

ἕστηκα δ' ἔνθ' ἔπαισ' ἐπ' ἐξειργασμένοις (cf. v. 1492, 1570)

neglegimus, dubium esse non potest quin illa eo temporis momento regiam teneat, ubi facinus commisit. Atque etiam Aegisthus reversus se corpora illa in regia ipsa conspicere simulat (v. 1577 sq.).

In Choephoris vero fabula e primis ipsis versibus Orestem patris sepulcrum petivisse cognoscimus (v. 4—5). Neque ulla mora interposita chorus virginum appropinquat, inter quas ille se sororem cognoscere suspicatur (v. 16—17). Atque unde venerint et quae sint, ipsae docent his verbis[2]) (v. 22—23):

ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν
χοὰς προπομπὸς ἰξύχειρι σὺν κόπῳ.

Quam regiam tam prope a sepulcro abesse, ut Orestes chorum domo ipsa prodeuntem videat, aliis locis praetermissis (v. 45—46, 88—89) ex his causis colligendum esse puto.

Praeterquam quod regia saepissime commemoratur (v. 342–44, 376—78), Clytaemestra ipsa appellatur (v. 429—30). Neque nisi regia ipsa conspicua esset, intellegi posset Orestem ubi primum Electram regiam intrare iubeat, solo verbo „*στείχειν ἔσω*“ uti (v. 554):

τήνδε μὲν στείχειν ἔσω[3]).

Quae sententia maxime eo fulcitur, quod postquam Orestes iam pridem domum introiit, chorus iterum Agamemnonis sepulcrum apprecatur v. 722—725:

ὦ πότνια χθὼν καὶ πότνι' ἀκτὴ
χώματος . . .
νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον,

quod nisi sepulcrum prope regiam situm esse poeta voluisset, absurdum esset[4]). Quod si statuimus, iam non mirum esse potest quod Orestes inter famulas illas de regia ipsa procedentes Electram versari suspicatur.

---

[1]) Cf. Bethe l. c. p. 104 sq. et Robert, Herm. XXXII 434.
[2]) Cf. Richter l. c. p. 215.
[3]) Cf. Richter l. c. p. 215.
[4]) Cf. Nilsson l. c. p. 18 sq.

Cognovimus igitur huius fabulae scaenam nullo loco commutari [1]), sed fabula exeunte esse eandem atque ineunte.

Restat ut de Eumenidibus fabula pauca addam, quippe quae ab omnibus illis regulis quas Aeschylum in componendis tragoediis secutum esse demonstravi discedat. Prior enim pars agitur Delphis, altera post multos dies Athenis (cf. v. 233—34) [2]). Atque cur Aeschylus ab eo more quem in reliquis fabulis secutus erat, discesserit, apertum est consideranti, quibus causis commotus poeta ad hanc fabulam componendam accesserit; cum enim biennio fere ante iura ac privilegia Areopagi admodum essent imminuta, Aeschylus hac in fabula maxime id egit, ut Atheniensibus ante oculos poneret Areopagum a dea ipsa comprobatum esse, cui *δίκαι φονικαὶ* essent iudicandae. Quam rem fabulae ipsi inserere poetae tantopere erat cordi, ut cum Delphos praetermittere non posset, legem illam principem neglegere non dubitaret. Quod eo facilius poterat effici, quia species templi Apollinis Delphici eodem modo reddebatur atque Minervae; praeterea autem chorus Furiarum qui spatia et temporum et locorum plane neglegit, non ut chorus hominum erat impedimento, quo minus nunc Delphis nunc Athenis res agerentur.

Sed cum plerumque tota fabula eodem loco ageretur, fieri non poterat quin poeta eum locum eligeret, qui universae fabulae conveniret, quamvis singulae partes tum hic tum illic agendae essent.

Maiori enim parti Persarum sepulcrum Darei scaena repraesentatum (cf. p. 10) convenit, quod Susis esse Aeschylus fingit, quamquam reges Persarum Persepoli sepeliebantur. At illumne qui omnium rerum Persicarum esset peritissimus, nescivisse credi potest, quo loco Dareus inimicissimus ille Graecorum esset humatus? Quam rem Aeschylus ob eam causam finxisse mihi videtur, quod fieri non poterat, ut „senatus“ Persarum Susis Persepolim sese conferret, neque quisquam intellexisset, cur Xerxes atque ante eum nuntius Susis urbe praetermissa Per-

[1]) Quod voluit Schoenbornius. Die Skene der Hellenen p. 224 sq.

[2]) Cf. Nilsson l. c. p. 25 sq. N. Wecklein, Über den Schauplatz in Aesch. Eumen., Münch. Sitzungsber. 1887 p. 62 sq.

sepolim ipsam peteret. Neque tamen etiamsi id neglegimus, sepulcrum Darei omnibus tragoediae partibus convenit. Initio enim curiam esse repraesentatam nobis animo fingere debemus [1]), quo senes illi convenissent, ut de fortuna exercitus sermones consererent; nam ex vocabulis obscuris *στέγος ἀρχαῖον* nihil potest concludi. At quin media fabulae pars, quam poetae maxime cordi fuisse non difficile est ad intellegendum, re vera prope Darei sepulcrum agatur, dubium esse non potest. Neque vero video, cur nuntius ille et Xerxes huc ipsum adveniant, quorum plurimum interfuisse veri sit simile tot laboribus exhaustis denique domum ipsam ad suos pervenire; quo accedit, quod ne uno quidem verbo mentionem faciunt sepulcri [2]). Est autem usus Aeschyleus, ut personas, quam scaenam ad fabulam universam aptissimam esse putet, in eam faciat prodeuntes, cum qua de causa hunc ipsum locum petiverint plane omittat.

Neque Septem adversus Thebas fabula ab illa ratione abhorret. Quamquam enim e verbis poetae ipsius in universum scaenam arce Thebarum repraesentari mihi videor demonstravisse (cf. p. 10 sq.), tamen nonnullas tragoediae partes alio loco peragi existimandum est. In arcem quidem rex cives convocat, in arcem, quippe quae sit locus firmissimus, chorus confugit, in arcem, ubi regem versari sciat, speculator nuntiat, quidnam sit gestum in castris hostium. Contra quamvis chorum post Eteoclis abitum, qua est consternatione, de loco illo sublimi castra hostium oculis perlustraturum esse exspectemus, e quo uter frater victoriam sit reportaturus perspiciat, hac spe destituimur. Immo quasi castra prospici posse oblitus sit (cf. v. 80—82, 240), quaerit ex nuntio (v. 793):

πόλις πέφευγεν ἥδε δούλιον ζυγόν;

Quo cum accedat, quod alterum fratrem ab altero esse interfectum non choro in monte versanti (cf. v. 791 sq.), sed

---

[1]) Cf. Bodensteiner l. c. p. 649.

[2]) Jurenka, Wien. Stud. XXIII p. 215: *„Wir sehen, wie der Dichter dem Zwange einer einheitlichen Dekoration für das ganze Stück unterworfen, mit bewusster Absicht so vorgeht, dass er sein Publikum schrittweise anleitet, ein und dasselbe Objekt je nach den Bedürfnissen der Handlung bald so bald anders aufzufassen“.*

toti populo nuntiari debeat, vix dubitari poterit quin Aeschylus cum hanc componebat fabulae partem, de foro[1]) vel simili loco publico cogitaverit[2]).

Sed cum spectatores nisi per nuntium de rebus extra urbem gestis certiores fieri non possint, ille eum in locum prodit qui forte scaena est repraesentatus[3]).

Neque Choephoroe fabula ab hac ratione discrepat:

Quamquam enim ex verbis Clytaemestrae (Agamemn. v. 1553—54):

καταθάψομεν
οὐχ ὑπὸ κλαυθμῶν τῶν ἐξ οἴκων . . .

et Electrae (Choeph. 430—33)

δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς
ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ',
ἄνευ δὲ πενθημάτων
ἕτλας ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι

concludendum est Agamemnonem aliquo deserto loco[4]) sepultum esse, Aeschylus rebus scaenicis ductus sepulcrum sub ipsa regia posuit (cf. p. 13). Neque vero dubium est quin futurum fuerit ut, si scaena mutari potuisset, prior fabulae pars apud sepulcrum, altera (a versu 651) ad regiam ageretur[5]). Atque ipsum poetam alterum locum ab altero seiungere inde concludendum est, quod credi non potest Orestem, quippe cuius plurimum intersit Clytaemestram celare de ipsius adventu, sepulcrum sub regia ipsa positum adire, ut de matre necanda cum sorore consilia communicet[6]).

Restat ut disquiram quibus instrumentis scaenicis Aeschylus effecerit, ut tota fabula ante aedes ageretur.

---

[1]) Ubi totam fabulam peragi Wilamowitzius (Herm. XXI p. 597) existimabat. Cui oblocutus est Todtius l. c. p. 518 sq.

[2]) Cf. Bodensteiner l. c. p. 650 adnot. 1.

[3]) Neque aliam rationem sequuntur Sophocles et Euripides (cf. infra).

[4]) Quod comprobatur locis Euripideis: Troad. 448. Electr. 289 sq., 509—10. Orest. 98, 796. 1211 sq. Praeterea conferas quaeso Wilamowitzium, Herm. XXI p. 611.

[5]) Quare Schoenbornius l. c. p. 222 ut scaenam re vera mutari putaret commotus est.

[6]) Neque in Electra Sophoclea veri est simile Orestem ubi primum in patriam redierit. statim ad regiam ipsam se conferre (cf. infra).

In Agamemnone enim senes simulatque voces regis ipsius intra aedes editas audiverunt, se domum intrare simulant, cum Clytaemestra cum corporibus necatis per eccyclema evoluta efficitur, ut res quae sequuntur intra domum agi videantur. Quod ad instrumentum adhibendum hac re adductus est, quod interior pars regiae ipsa repraesentari non poterat. Unde necem ipsam nisi clamoribus auditis (v. 1345) spectatoribus ante oculos poni non posse intellegitur.

Sed quidni ante aedes illi necantur? Neque poetam illam ad rationem adhibendam versibus Homericis λ 410—411

ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἳ κόνδε καλέσσας,
δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ

esse commotum inde cognoscitur, quod etiam in aliis fabulis eandem sequitur rationem. Sed quod personae ob eam solam causam plerumque intra domum ipsam necari existimantur, ne spectatores taeterrimam necem ipsam oculis conspiciant[1]), improbandum esse mihi videtur. Nam nonne multo magis nos taedet Clytaemestram facinore commisso accuratissime explicare quem ad modum illos trucidaverit (cf. v. 1384—86):

παίω δέ νιν δίς· κἀν δυοῖν οἰμωγμάτοιν
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι e. q. s.?

Quae cum ita sint, alia causa poeta commotus esse mihi videtur. Si enim Agamemno et Cassandra coram spectatoribus interficerentur et Clytaemestra adstante in scaena cubarent, quisnam Aegisthi partes ageret? Atque in Choephoris si Aegisthus et Clytaemestra mortui scaenam tenerent, nemo esset qui nutricis partes susciperet. At corporibus hominum necatorum foras prolatis qui illorum partes antea egerant, aliis partibus suscipiendis vacabant, quod non ipsi homines necati, sed illorum imagines spectatoribus monstrabantur[2]). Qua re speciem rei factae admodum minui vel turbari nemo nega-

---

[1]) Neckel l. c. p. 4: *„Sehr weise verlegten die Dichter solche Szenen hinter die Bühne, weil sie auf offener Szene dadurch den feinen, geläuterten Geschmack ihrer Zuschauer beleidigt hätten“.*

[2]) Quacum re convenit, quod Seneca quippe cuius fabulae non actae sed lectae sint, personas coram spectatoribus interfici facit.

verit[1]); quo modo factum est, ut res illae, quibus si in scaena ipsa actae essent, spectatores vehementissime commoti essent, tres in partes dividerentur:

1) Auditur clamor eius qui necatur.
2) Nuntiatur trucidatio quo modo sit facta.
3) Conspiciuntur corpora ipsa.

II.

Quoniam priore commentationis parte demonstravisse mihi videor, quem ad modum Aeschylus effecerit, ut et locus et dies per totam fabulam idem essent, nunc primum quidem disquirendum est, utrum etiam tragoediarum Sophoclearum actio quo die initium ceperit, eodem ad finem perducta, an maius temporis spatium inter primam et extremam fabulam interpositum sit.

Atque quasi caliginosa nox praeterita impedimento fuerit, ne quod ante initium fabulae accidisset coram spectatoribus ageretur, Sophocles plerumque initium fabulae ipsum cum initio diei coniungit.

Aiace enim fabula ineunte Ulixes de facinore nocturno inimici certior factus non multo ante claram lucem (v. 21—23, 141, 209, 217) ad tentorium illius contendit, ut cognoscat quo modo hic se habeat. Deinde postquam Aiax verbis ambiguis Tecmessam fefellit atque ut ipse sibi mortem consciscet abiit, nuntius illam de praeceptis Teucro a Calchante datis certiorem reddit, qui Aiacem hoc die intra tentorium teneri iusserat:

v. 753—57: *εἶρξαι κατ' ἦμαρ τοὐμφανὲς τὸ νῦν τόδε*
Αἴαντ' ὑπὸ σκηναῖσι μηδ' ἀφέντ' ἐᾶν,
εἰ ζῶντ' ἐκεῖνον εἰσιδεῖν θέλοι ποτέ.
ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε θἡμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις, ὡς ἔφη λέγων.

Idem docent versus 778 et 801—802.

Quo nuntio allato Tecmessa una cum choro sine mora vestigia Aiacis persecuta corpus eius mortuum deserto loco re-

[1]) Hac de re vide infra.

perit; eodem Teucer ipse et Menelaus adveniunt, qui Aiacem ipsum se interfecisse fando audiverunt (v. 998—99). Quibus rebus satis elucere mihi videtur quaecumque hac fabula geruntur eodem die peragi.

Atque etiam Antigona fabula initium capit a prima luce; Antigona enim cum sorore bene mane (cf. v. 249 sq.) e regia procedit, cum aegre ferat, quod Creon post abitum nocturnum hostium Polynicem sepeliri vetuerit (v. 16). Quae postquam se ipsam effecturam esse vovit, ut ille humaretur, abit. Sed dum meridiano tempore consilium illud perficit, comprehensa[1]) ad Creontem trahitur, qui eam ad mortem duci iubet. Sed vix illa abducta est, cum Tiresias accurrit, qui Creonti malum quam maximum imminere vaticinatur, nisi vitae virginis parcat. Quibus verbis victus hic scaena decedit, ut Antigonam e carcere dimittat; paulo post autem revertitur cum corporibus Antigonae et Haemonis filii. Atque postquam Creon etiam Eurydicam se necavisse comperit, exclamat (v. 1328 sq.):

ἴτω ἴτω,
φανήτω μόρων ὁ κάλλιστ' ἐμῶν
ἐμοὶ τερμίαν ἄγων ἀμέραν
ὕπατος· ἴτω ἴτω,
ὅπως μηκέτ' ἄμαρ ἄλλ' εἰσίδω.

Cuius fabulae verbis ipsis quamquam non tam aperte quam Aiacis spatium unius diei observari cognoscitur, tamen singulae res gestae tam arte inter se coniunctae sunt, ut dubitari non queat quin actio quo die sit coepta, eodem finiatur.

Neque alia est res in Trachiniis. Prima enim luce Deianira domo relicta absentiam Herculis diuturnam queritur (v. 175—77):

ὥστ' ἐνδεῶς εὖδουσαν ἐκπηδᾶν ἐμὲ
φόβῳ, φίλαι, ταρβοῦσαν, εἴ με χρὴ μένειν
πάντων ἀρίστου φωτὸς ἐστερημένην.

Atque postquam Hyllus qui ut patrem reduceret in Euboeam missus erat, rediit, chorus haec facit verba (v. 731—33):

σιγᾶν ἂν ἁρμόζοι σε τὸν πλείω λόγον,

[1]) v. 415—16: *χρόνον τάδ' ἦν τοσοῦτον, ἔστ' ἐν αἰθέρι*
μέσῳ κατέστη λαμπρὸς ἡλίου κύκλος.

εἰ μή τι λέξεις παιδὶ τῷ σαντῆς· ἐπεὶ
πάρεστι, μαστὴρ πατρὸς ὃς πρὶν ᾠχετο.

„πρὶν“ vocabulo non significari tempus nonnullorum dierum interpositum sed ipsum quo res agitur diem elucet e versibus 739—40 quibus Hyllus dicit:

τὸν ἄνδρα τὸν σὸν ἴσθι, τὸν δ' ἐμὸν λέγω
πατέρα, κατακτείνασα τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ.

Quae res verbis ipsius Herculis reversi comprobatur, qui Hyllo matrem culpa vacare professo respondet (v. 1128):

ἀλλ' οὐδὲ μὲν δὴ τοῖς γ' (sc. ἡμαρτημένοις) ἐφ' ἡμέραν ἐρεῖς.

Ex Herculis igitur ipsius ore audimus eum quo die uxor vestem illam perniciosam misisset, eodem rediisse, i. e. totius fabulae actionem spatium unius diei non excedere.

Neque adversatur legi Aristotelicae Sophoclis fabula qua Oedipodis regis fata enarrantur. Ibi enim Oedipus postquam de oraculo Apollinis Delphici certior factus Tiresiam arcessivit, hoc responsum accipit (v. 438):

τῇδ' ἡμέρᾳ πεύσει σφε καὶ διαφθερεῖ.

Atque cum Oedipus per totam fabulam nihil agat nisi ut originem suam veram investiget atque postquam ipse se cognoverit, se perdat, satis apparere mihi videtur hanc fabulam intra unum solis circuitum peragi. Quocum consentiunt singuli loci hi.

Creontem enim ab Oedipo conviciis affectum quam turpissimis Sophocles, quasi ille fortunam Oedipi divinet, facit respondentem (v. 614—15):

χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος·
κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ.

Atque nuntius facinora domi commissa his verbis foras renuntiat (v. 1282—84):

ὁ πρὶν παλαιὸς δ' ὄλβος ἦν πάροιθε μὲν
ὄλβος δικαίως· νῦν δὲ τῇδε θἡμέρᾳ
στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη ...

Etiam initio Electrae fabulae comperimus fabulam a primo die initium capere; cf. v. 17—19:

ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ
μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη.

Idem e verbis Electrae elucet his (v. 86):

ὦ φάος ἁγνὸν καὶ γῆς ἰσόμοιρ' ἀὴρ e. q. s.

Neque multum progressus est dies, cum Chrysothemis in scaenam prodit, quam Clytaemestra ad sepulcrum patris misit „*ἐκ δείματός του νυκτέρου*" (v. 410).

Mox regina ipsa somniis nocturnis perturbata progreditur haec faciens verba (v. 644—47):

ἃ γὰρ προσεῖδον νυκτὶ τῇδε φάσματα
δισσῶν ὀνείρων, ταῦτά μοι, Λύκει' ἄναξ,
εἰ μὲν πέφηνεν ἐσθλά, δὸς τελεσφόρα,
εἰ δ' ἐχθρά, τοῖς ἐχθροῖσιν ἔμπαλιν μέθες.

Atque vix Clytaemestra precationem finivit, cum paedagogus redux factus Orestem iam pridem mortuum esse simulat. Quem, postquam a patris sepulcro rediit atque se ipsum Orestem esse professus est, Electra his alloquitur verbis (v. 1362—63):

ἴσθι δ' ὡς μάλιστά σ' ἀνθρώπων ἐγὼ
ἦχθηρα κἀφίλησ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ; et v. 1314-15:
ἥτις μιᾷ σε τῇδ' ὀλωλόθ' ἡμέρᾳ
καὶ ζῶντ' ἐσεῖδον.

Atque etiam reliquam fabulae partem quamquam id e verbis ipsis colligi non potest, tamen eodem die ad finem perduci nemo negabit.

Neque dubium est quin Philocteta ab Ulixe et Neoptolemo eodem die Troiam abducatur, quo illi Lemnum advenerunt; id enim inde maxime perspicuum est, quod Ulixes, ubi primum ad insulam navem appulerunt, Neoptolemo ut consilia sua sequatur, his verbis persuadere conatur (v. 83 sq.):

νῦν δ' εἰς ἀναιδὲς ἡμέρας μέρος βραχὺ
δός μοι σεαυτόν, κἄτα τὸν λοιπὸν χρόνον
κέκλησο πάντων εὐσεβέστατος βροτῶν.

Atque fabula exeunte Hercules illos hortatur (v. 1449—51):

μὴ νυν χρόνιοι μέλλετε πράσσειν·
καιρὸς καὶ πλοῦς
ὅδ' ἐπείγει γὰρ κατὰ πρύμνην.

Quibuscum fabulis consentit Oedipus Coloneus; cum enim Apollo vaticinatus esset Oedipum simulatque in lucum Eumenidum pervenisset, de vita esse decessurum, consentaneum

est illum, priusquam mortem obeat, non complures dies sed unum tantum in illo versari.

Quoniam legem illam Aristotelicam etiam apud Sophoclem valere intelleximus, disquirendum est, quam poeta adhibuerit artem, ut temporis unitatem observaret.

Ac primo loco consideremus Sophoclis personas, ut spectatores colloquio ipso quidnam huic diei antecesserit, comperiant, quas res iam pridem perfectas esse vel constat vel existimandum est, eas hoc die peragere, proinde ac si antea nunquam de illis collocutae sint.

Initio enim Trachiniarum Deianira cum ancilla collocuta enumerat, quae mala usque ad illum diem passa sit: Herculem quos illi peperisset liberos, postquam nati essent, non iam vidisse, cum altero die domum reversus, altero ad novos suscipiendos labores profectus esset. Sed sunt illae quas explicat res eius modi, quas serva novisse debuerit, quippe quam haud raro Deianiram lacrimas fundentem vidisse ex his verbis ipsius eluceat (v. 49—51):

δέσποινα Δηάνειρα, πολλὰ μέν σ' ἐγὼ
κατεῖδον ἤδη πανδάκρυτ' ὀδύρματα
τὴν Ἡράκλειον ἔξοδον γοωμένην.

Atque etiam choro quibus doloribus Deianira affecta sit, compertum esse ex his versibus cognoscitur: v. 105 sq., 175 sq.

Colloquium igitur illud nihil aliud sibi velle perspicuum est, nisi ut spectatores certiores fiant de iis quae cum illo actionis die priora sint, ipsa in scaena peragi non possint[1]). Neque aliter sunt intellegendae res quae hoc colloquium sequuntur. Famula enim suadente cum Deianira Hyllum oret, ut ubinam terrarum pater versetur investiget, ille respondet haec:

v. 67: *ἀλλ' οἶδα, μύθοις εἴ τι πιστεύειν χρεών.*
v. 69—70: *τὸν μὲν παρελθόντ' ἄροτον ἐν μήκει χρόνου*
Ἀνδῇ γυναικί φασί νιν λάτριν πονεῖν.

[1]) G. Kaibel (Sophocles Electra p. 65) illa de ratione rectissime haec dicit: *„Deian. hat für ihr Auftreten keinen anderen Grund, als dass das Stück beginnt, für ihre Erzählung keinen anderen, als dass das Publikum unterrichtet sein will“.* Cui, ut mihi quidem videtur, iniuria obloquitur Th. Zielinski (Philol. 55 p. 521 sq.).

v. 74—75: *Εὐβοΐδα χώραν φασίν, Εὐρύτου πόλιν,*
ἐπισπαιρεύειν αὐτὸν ἢ μέλλειν ἔτι.

Haud igitur nescit et ubi Hercules antea fuerit et quem locum nunc teneat. Neque eum ad matrem de illis rebus edocendam tempus defecisse putandum est; verbo enim „*μέλλειν*" illum ubi Hercules versaretur iam multo ante comperisse appareret. Nam hoc die quo Hyllus de patre loquitur, is non iam Oechaliam aggredi „moratur" (*μέλλει*, v. 75), sed iam pridem expugnavit. At qui fit, ut cum ancilla et chorus et ipsa Deianira ubi terrarum Hercules degat nesciant, Hyllus solus illum locum cognitum habeat? Praeterea Hyllum cum cotidie quo desiderio mater cruciaretur vidisset, nunquam cum ea de Herculis laboribus collocutum esse eique id quod hac de re compertum haberet rettulisse quis est quin cum rerum natura pugnare consentiat? Quod se praetermisisse Hyllus nullam ob aliam causam simulat, nisi ut spectatores hoc die illi colloquio interesse possint.

Quamquam enim Sophocles compositionem tetralogicam, qua usus erat Aeschylus eo modo ut illius fabulae quasi tres complecterentur actus, plane reliquerat[1]), tamen ad rationem Euripideam progredi nondum ausus est, qui prologo res quae initio fabulae antecesserant, per hominem vel deum *προλογίζοντα* enarravit, sed Sophocles res antea peractas actioni ipsi innectit.

Quod etiam initio Antigonae comprobatur. Ismena enim quid Creon nocte vetuerit, ob eam causam se nescire simulat, ut per Antigonam de hac re coram spectatoribus certior fiat. Deinde Creon cives convocat, ut eos ipsos ne Polynicem sepeliant deterreat, praecipue autem, ut iis quas secutus leges regnaturus sit exponat. Sed se regnum iam ante complures dies obtinuisse ipse dicit versibus 170 sq.:

ὅτ' οὖν ἐκεῖνοι πρὸς διπλῆς μοίρας μίαν
καθ' ἡμέραν ὤλοντο παίσαντές τε καὶ
πληγέντες αὐτόχειρι σὺν μιάσματι,
ἐγὼ κράτη δὴ πάντα καὶ θρόνους ἔχω.

---

[1]) Suidas s. v. *Σοφοκλῆς*· *ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογεῖσθαι* (codd. *στρατολογεῖσθαι*, quod sensu caret). Cf. N. Wecklein, „Über eine Trilogie des Aeschylus", Münch. Sitzber. 1891 p. 368 sq.

Idem docent versus 289 sq.:

ἀλλὰ ταῦτα καὶ πάλαι πόλεως
ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί,
κρυφῇ κάρα σείοντες, οὐδ' ὑπὸ ζυγῷ
λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ.

Itaque ad rationem illam explicandam quam secutus regnaturus esset, nullus dies magis idoneus erat quam is ipse quo Creon Eteocli successerat. Tamen Creon illud hoc demum die profert, ut primis ipsis verbis se eum praebeat qui intra fabulam in omnes imperio ipsius resistentes quam acerbissime consulere non sit dubitaturus.

Neque in Oedipo Rege Sophocles a ratione illa discedit. Ubi primum enim Oedipus in scaenam prodiit, sacerdotem, ducem liberorum illorum supplicum, interrogat, quid sibi velint sacra per urbem facta atque cantus et gemitus (v. 1—13). Nam cum suspicetur urbem aliquo malo opprimi, se, quantum quidem possit, voluntati ipsorum obsecutum id esse spectaturum, ut civitati afflictae quam celerrime medeatur. Quibus verbis satis elucet Oedipum nescire, quo morbo urbs iam diu affecta sit. Postquam autem sacerdos planius atque fusius communem calamitatem explicavit, rex respondet (v. 58—60):

ὦ παῖδες οἰκτροί, γνωτὰ κοὐκ ἀγνῶτά μοι
προσήλθεθ' ἱμείροντες· εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι
νοσεῖτε πάντες.

Regem igitur calamitatem illam iam compertam habuisse manifestum est, priusquam sacerdos precandi causa ad eum venisset. Quocum consentit quod ut morbo illi mederetur, Creontem ante complures dies Delphos misit, cuius reditum iam diu exspectat.

Itaque quaerenti quibusnam causis Sophocles ad tantam rerum discrepantiam commotus sit, ut primum Oedipus se nescium esse malorum simulet, deinde vel remediis se prospexisse affirmet, respondendum erit Sophoclem quamvis res priore tempore gestas ipsas producere re scaenica esset prohibitus, tamen nihil praetermisisse quin illas rebus hoc die peragendis immisceret.

Neque alia res est in prologo Electrae. Postquam enim

Orestes et Pylades Delphis relictis cum paedagogo ad regiam advenerunt, hic dicit (v. 15—16):

νῦν οὖν, Ὀρέστα καὶ σὺ φίλιατε ξένων
Πυλάδη, τί χρὴ δρᾶν ἐν τάχει βουλευέον.

Nunc igitur cum ad finem itineris pervenerunt, paedagogus iis suadet, ut consilium capiant quid faciendum sit. Cui Orestes respondet (v. 32—35):

ἐγὼ γὰρ ἡνίχ' ἱκόμην τὸ Πυθικὸν
μαντεῖον, ὡς μάθοιμ' ὅτῳ τρόπῳ πατρὶ
δίκας ἀροίμην τῶν φονευσάντων πάρα,
χρῇ μοι τοιαῦθ' ὁ Φοῖβος, ὧν πεύσει τάχα.

Non prius igitur Orestes cum comitibus quid nuper Apollo sibi vaticinatus sit communicat quam Argos pervenerunt[1]). Itaque liceat mihi verba quae G. Kaibel hac de re fecit afferre[2]): *„Es ist nur dramatischer Zwang, dass erst jetzt Orest vom Orakel berichtet und der Alte erst jetzt zur Beratung mahnt. Die Unwahrscheinlichkeit, dass sie den ganzen Weg von Delphi her stumm zurückgelegt haben sollten, muss neben anderen Unzuträglichkeiten ertragen werden“.*

Cum enim actio tragoediarum Sophoclearum unum diem non excederet, poeta facere non potuit quin colloquium illud quod multo ante hunc diem habitum esse par erat, in eum diem conferret[3]).

Neque in Philocteta poeta a more illo quem supra demonstravisse mihi videor discedit. Cuius fabulae initio Ulixes Neoptolemo explicat, qui factum sit, ut Argivi Philoctetam in insula Lemno exponerent. Quibus de rebus illum verba facere, ut spectatores de Philoctetae sorte moneat, satis manifestum est. Neque enim quisquam dubitaverit quin Neoptolemus si

---

[1]) Quae res Nauckio tam absurda esse videbatur, ut versus 20—21 interpolatos esse putaret; dicit autem (Schneidewin-Nauck, Electra, adn. ad v. 20): *„Höchst wunderlich ist der Gedanke, man solle die Beratung beginnen, bevor jemand aus dem Palaste trete. Wollen die Rächer des Agamemnon von keinem Bewohner des Palastes bemerkt werden, so haben sie die Nähe des Palastes zu meiden“.*

[2]) Sophocles Electra p. 66.

[3]) Cf. de Arnim, de prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryphiswald. 1882 diss. p. 93.

quidem Ulixi obsecutus cum illo Lemnum navigaverat, iam pridem ex eo quaesiverit, qua et sorte et condicione Philoctetes esset (cf. Hom. λ 508 sq.). Idem dicendum est de versibus sequentibus, quibus Ulixes cum Neoptolemo consilium communicat, postquam ab illo Philoctetam specum reliquisse certior factus est: nisi ille per dolum Troiam abductus sit, fieri non posse, ut Neoptolemus ipse urbem Dardanorum unquam expugnet:

v. 68—69: *εἰ γὰρ τὰ τοῦδε τόξα μὴ ληφθήσεται,*
οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον.

Atque Neoptolemum ne hoc quidem antea audivisse, quanti momenti sagittae atque arcus Philoctetae sibi essent, etiam e versibus his apparet, quibus Ulixem interrogat (v. 104):

οὕτως ἔχει τι δεινὸν ἰσχύος θράσος;

atque v. 112: *κέρδος δ' ἐμοὶ τί τοῦτον ἐς Τροίαν μολεῖν;*

Neque aliud docent versus 113, 114—15 alii. Cur autem Neoptolemus Ulixem Lemnum secutus est, nisi ut arcum Philoctetae auferret? Atqui cur Sophocles illum simulantem fecerit se neque fortunam Philoctetae neque vim sagittarum eius nosse, ex iis quae supra dixi satis apparere mihi videtur. Qua re poeta efficit, ut spectatores de rebus certiores fiant quas quod antea actae erant, iis ante oculos ponere non potuerit.

Qua a ratione dissentit prologus Oedipi Colonei, in quo spectatores Oedipum in nemore Eumenidum moriturum esse non eo comperiunt, quod ille cum Antigona nunc demum oraculum dei communicat, sed Eumenidibus supplicat, ut nunc quae Apollo vaticinatus sit perficiant (v. 84 sq.).

Sed Sophocles etiam res quas vel semel vel saepius ante hunc diem actas esse personae ipsae exposuerunt, hoc die denuo spectatoribus ante oculos ponit, quo magis commoveantur. Cuius rei gravissimum exemplum praebet Electra fabula. Verbis enim et Electrae ipsius cum choro colloquentis (v. 121—250) et Clytaemestrae illam nihil praetermittere cognoscimus quin matri crimini tribuat, quod patrem interfecerit. Nam ut nonnulla afferam exempla, Clytaemestra filiam arguit, quod cum antea intra regiam tantum ipsi maledixisset, iam foras exierit (v. 520—26):

καίτοι πολλὰ πρὸς πολλοὺς με δὴ
ἐξεῖπας, ὡς θρασεῖα καὶ πέρα δίκης
ἄρχω καθυβρίζουσα καὶ σὲ καὶ τὰ σά·
ἐγὼ δ' ὕβριν μὲν οὐκ ἔχω, κακῶς δέ σε
λέγω κακῶς κλύουσα πρὸς σέθεν θαμά.
πατὴρ γάρ, οὐδὲν ἄλλο σοὶ πρόσχημ' ἀεί,
ὡς ἐξ ἐμοῦ τέθνηκεν.

et v. 552—53: ἐρεῖς μὲν οὐχὶ νῦν γέ μ' ὡς ἄρξασά τι
λυπηρὸν εἶτα σοῦ τάδ' ἐξήκουσ' ὕπο.

Eodem modo versus 547, 595, 605 sq., 784-86, 798 alii docent illas, ut natura ferebat, iam saepissime de Agamemnone trucidato maledictis inter sese certasse. Sed tantum abest, ut Sophocles illas controversias spectatoribus nuntiari satis habeat, ut discordiam hoc die denuo coram spectatoribus exoriri faciat.

Itaque fieri non potuit quin illae nunquam antea alteram verbis invectam esse in alteram simularent. Electra enim queritur his verbis (282—86):

ἐγὼ δ' ὁρῶσ' ἡ δύσμορος κατὰ στέγας
κλαίω, τέτηκα, κἀπικωκύω πατρὸς
τὴν δυστάλαιναν δαῖτ' ἐπωνομασμένην
αὐτὴ πρὸς αὑτήν· οὐδὲ γὰρ κλαῦσαι πάρα
τοσόνδ' ὅσον μοι θυμὸς ἡδονὴν φέρει e. q. s.

Deinde Clytaemestra eam hortatur, ut ipsi aperiat, qua commotus causa Agamemno Iphigeniam sacrificaverit (v. 534—36):

εἶεν, δίδαξον δή με, τοῦ χάριν τίνων
ἔθυσεν αὐτήν· πότερον Ἀργείων ἐρεῖς;
ἀλλ' οὐ μετῆν αὐτοῖσι τήν γ' ἐμὴν κτανεῖν.

Quacum re congruit, quod Electra Agamemnonem non Menelai gratia filiam sacrificasse matri explicat, sed quia cervam Dianae sacram interfecerit (v. 560—76).

Quam in discrepantiam rerum Sophocles incidit, quod ipsas feminas hoc die certantes spectatoribus ante oculos positurus erat[1]).

Neque aliam rationem Sophocles secutus est in Philocteta componenda. Quamquam enim quibus doloribus morbisque torqueretur Philoctetes ipse explicavit (v. 254—316), tamen poeta

[1]) Quacum re conferas quaeso rationem Euripideam infra expositam.

illum, quo magis perspicua fiat magnitudo malorum eius, subito impetu morbi corripi facit.

Qua re Sophocles supersedisset, si secutus Aeschyli compositionem trilogicam priore trilogiae fabula condicionem turpem Philoctetae explanavisset, altera quem ad modum ille Lemno Troiam abduceretur, peragi fecisset.

Eodem rettulerim quod quamquam Antigona initio fabulae iussum improbum Creontis Ismenae sorori iam narravit, Creon ipse in scaenam progressus civibus denuo praedicat ne quod vetuerit neglegant.

Neque silentio praetereunda est haec ratio, quam poeta ad res quam maxime finibus unius diei aptandas adhibet.

Quo celerius actio progrederetur, Oedipus rex iam ante initium fabulae Creontem Delphos misit; ea enim re efficitur ut quo temporis momento cives ab Oedipo auxilium petunt, eodem ille revertatur. Nam si hoc ipso die mitteretur, fieri non poterat ut eodem rediret (cf. v. 73—74). Deinde cum chorus Oedipo suadeat, ut ex Tiresia interfectores Laii quaerat, rex respondet (v. 288—89):

ἔπεμψα γὰρ Κρέοντος εἰπόντος δισσοῖς
πομπούς, πάλαι δὲ μὴ παρὼν θαυμάζεται.

Ne quid igitur diei consumatur, quod nunc ipsum ad Tiresiam nuntii mittantur, Oedipus illud iam curavit. Eidem poetae consilio tribuendum est, quod Creon iam ante initium Antigonae custodes collocavit civibusque universis ne corpus Polynicis sepelirent praedixit.

Neque solam actionem fabularum Sophocles ita componere studuit, ut ex se ipsa uno die ad finem perduceretur, sed utitur variis artibus velut oraculis, somniis, epistulis, quibus efficitur, ut singulae res in eundem diem congruant.

Ut enim ab Aiace exordiar, vix ille scaena decessit, ut sibi ipse manum inferret, cum nuntius quae Calchas Teucro praescripserit refert (v. 753—57):

εἶρξαι κατ' ἦμαρ τοὐμφανὲς τὸ νῦν τόδε
Αἴανθ' ὑπὸ σκηναῖσι μηδ' ἀφέντ' ἐᾶν,
εἰ ζῶντ' ἐκεῖνον εἰσιδεῖν θέλοι ποτέ.
ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε θἡμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις, ὡς ἔφη λέγων.

Eo igitur quod Calchas vaticinatus est fore ut Aiax si hoc solo die intra tentorium retineretur, servaretur, si minus, periret, poeta id spectavit, ut Tecmessa timore capta ne quid humani Aiaci evenisset, sine mora vestigia eius sequeretur. Nisi enim Calchas Aiacem illo die foras mitti vetuisset, Tecmessa ipsa nihil illi timuisset, sed per complures dies reditum eius exspectavisset verbis his confisa (v. 652—56):

οἰκτίρω δέ νιν
χήραν παρ' ἐχθροῖς παῖδά τ' ὀρφανὸν λιπεῖν.
ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παραικτίους
λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ
μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλύξωμαι θεᾶς.

Eandem ob causam in Trachiniis tabula illa ab Hercule Deianirae relicta est, ex qua illa cognosceret quindecim mensibus circumactis finem esse futurum laborum illorum (v. 44-48). Quo modo accidit, ut Deianira illo ipso die foras progressa Hyllum ad patrem mittat, quo Hercules laboribus ad finem perductis domum reverti possit. Nam nisi hac ratione fieri non potuit, ut finis laborum illius in eundem diem incideret quo mater curis vehementissimis cruciata filium ad patrem adiuvandum reducendumque mitteret.

Neque alio spectat in Electra somnium Clytaemestrae. Quae Agamemnonem reversum sceptrum antiquum in foco patrio insevisse atque surculum ex eo natum totis Mycenis umbram attulisse per somnum viderat. Quo somnio perterrita illa statim Chrysothemin ad sepulcrum patris mittit; ea tamen non, quod mater iusserat, patri sacrificat, sed cirrum iussu Electrae sepulcro impositura Orestem rediisse cognoscit. Somnio igitur illo quasi per deos ipsos sancitur atque significatur Orestem hoc die ultorem patris esse reversurum. Si autem somnium illud abesset, quidnam fuisset absurdius quam illum tot annos absentem eodem die domum reverti, quo marito sacra facere Clytaemestrae in mentem venisset! Simile somnium quo Aeschylus ipse (Choeph. v. 527 sq.) usus est, iam apud Stesichorum legimus (fr. 42 B [4]); quod utrum ille eodem modo atque poetae tragici cum adventu Orestis coniunxerit necne, non liquet.

Sed ut Sophocles oraculis similibusve rebus divinis id agit, ut diversissimae res in unum diem congruant, ita saepe ea quae non minus apte ad quemlibet alium diem convenissent, illo ipso die peragi facit.

Teucer enim quo die Aiax se necavit, eodem revertitur, quamquam ne Aiacem quidem adventum illius tam brevi spatio interposito exspectare ex ipsius verbis colligendum est (v. 562 sq.).

Eodem modo Creon illo die Delphis domum redux fit, quo liberi supplices Oedipum precibus adierunt. Cuius rei novitatem poeta eo minuere conatur, quod tempus adventui illius destinatum tunc ipsum praeteriisse Oedipus dicit (v. 73—75):

καί μ' ἦμαρ ἤδη ξυμμετρούμενον χρόνῳ
λυπεῖ τί πράσσει· τοῦ γὰρ εἰκότος πέρα
ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου.

Deinde licentiae poeticae tribuendum est, quod in Oedipo Coloneo Ismena et Creon, ut illum Thebas reducant, eodem die in lucum Eumenidum adveniunt, quo Oedipus multis erroribus iactatus finem laborum invenit.

Denique quod commemoretur dignum est Sophoclem, non aliter atque poetas omnes, ne unius diei spatium excedat, locorum atque temporum intervalla plane neglegere. Ut enim exemplo utar, in Trachiniis uno die primum quidem Hyllus e Thessalia ad Euboeam proficiscitur, deinde Lichas idem facit iter, postremo tantum diei restat, ut Hercules aegrotus ex Euboea domum transportari possit[1]).

Illae mihi proferendae erant artes, quibus Sophocles effecit, ut actio fabularum unius diei finibus coerceretur. Atque in quo maiores angustias poeta hoc vinculo, ut ita dicam, coactus est, eo magis admirandum est, qua diligentia et quo ingenio se illo extricaverit. Quae res Sophoclis arti non obstitit sed favit, quippe cuius plurimum interesset compositione rerum vim in actione positam quantum quidem posset augere. Nam ut actio Oedipi Regis in complures dies distribuatur, vis rerum in illum concurrentium quam maxime minuitur. Quae cum ita sint, tolerari potest quod Oedipus tunc demum, cum Creon ora-

[1]) Cf. Corneille, discours des trois unités p. 112. Schlegel l. c. p. 26 sq.

culum Delphis rettulit, et quo modo Laïus perierit interrogat (v. 112 sq.) et quis ipse sit Iocastae explicat (v. 771 sq.)[1]).

Sequitur ut de uno loco Sophocleo agam. Cum enim quae erant res scaenicae Graecorum, fieri non potuerit quin totam per fabulam ad aedes ipsas res agerentur[2]), videamus quibus usus artificiis Sophocles totam actionem in unum locum transtulerit.

Ac primum quidem poeta homines qui domum tenentes impedimento sunt, quo minus res ad aedes agantur domo amovet aliave causa prohibet ne quae foris conferantur consilia audiant.

Postquam enim Electra initio fabulae, quam crudeliter Aegisthus in ipsam consuluisset, exposuit maledictaque in illum coniecit, chorus interrogat (v. 310—11):

φέρ᾽ εἰπέ, πότερον ὄντος Αἰγίσθου πέλας
λέγεις τάδ᾽ ἡμῖν ἢ βεβῶτος ἐκ δόμων;

Cui Electra hoc respondet (v. 312—13):

ἦ κάρτα· μὴ δόκει μ᾽ ἄν, εἴπερ ἦν πέλας,
θυραῖον οἰχνεῖν· νῦν δ᾽ ἀγροῖσι τυγχάνει.

Quod etiam ex Clytaemestrae verbis elucet his (v. 517—18):

οὐ γὰρ πάρεστ᾽ Αἴγισθος, ὅς σ᾽ ἐπεῖχ᾽ ἀεὶ
μή τοι θυραίαν γ᾽ οὖσαν αἰσχύνειν φίλους.

Ut igitur Electra in scaena ipsa explicare posset, quo modo Clytaemestra et Aegisthus sese gererent, Sophocles hunc procul absentem fecit; nam tantum aberat, ut Electra Aegisthum ubi primum domi versaretur, vituperaret vel obiurgaret, ut ne foras quidem exire illi liceret. Itaque postquam Electra ante regiam fratrem agnovit atque ei quo modo in matrem esset consulendum explicavit, paedagogus ex regia procurrit his usus verbis (v. 1326—33):

ὦ πλεῖστα μῶροι καὶ φρενῶν τητώμενοι,
πότερα παρ᾽ οὐδὲν τοῦ βίου κήδεσθ᾽ ἔτι

---

[1]) Cf. G. Freytag, Die Technik des Dramas [2] cap. IV: *„Dass König Oedipus viele Jahre regiert, ohne sich um den Tod des Laius zu kümmern, erschien vielleicht schon bei der ersten Aufführung des Stückes den Athenern als eine bedenkliche Voraussetzung“.*

[2]) Cf. p. 12 sq.

ἦ νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὑμὶν ἐγγενής,
ὅτ' οὐ παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς
τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γιγνώσκετε;
ἀλλ' εἰ σταθμοῖσι τοῖσδε μὴ 'κύρουν ἐγὼ
πάλαι φυλάσσων, ἦν ἂν ὑμὶν ἐν δόμοις
τὰ δρώμεν' ὑμῶν πρόσθεν ἢ τὰ σώματα.

Neque enim Sophoclem fugit hunc locum alienum esse a consiliis illis de Clytaemestra capiendis. Quam ob rem illa a paedagogo intus retinetur, ne quid de se foris conferatur consiliorum, animadvertat.

Quam ad rem probandam etiam initium Philoctetae aptissimum esse mihi videtur. Cum enim personas ad specum Philoctetae agere oporteret, Ulixes facere non potuit quin hoc loco quamvis periculoso Neoptolemum edoceret, quae consilia de illo cepisset. Quem locum ad eas res disserendas haudquaquam idoneum esse Ulixi ipsi persuasum est, id quod ex his verbis colligi debet (v. 11—14):

ἀλλὰ ταῦτα μὲν τί δεῖ
λέγειν; ἀκμὴ γὰρ οὐ μακρῶν ἡμῖν λόγων,
μὴ καὶ μάθῃ μ' ἥκοντα κἀκχέω τὸ πᾶν
σόφισμα, τῷ νιν αὐτίχ' αἱρήσειν δοκῶ.

Itaque Neoptolemum totius doli conscium facere dubitat, priusquam hic disquisiverit, utrum Philoctetes in specu inesset necne (v. 22—25):

ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σήμαιν' εἴτ' ἐκεῖ
χῶρον πρὸς αὐτὸν τόνδ' ἔτ' εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ,
ὡς τἀπίλοιπα τῶν λόγων σὺ μὲν κλύῃς,
ἐγὼ δὲ φράζω, κοινὰ δ' ἐξ ἀμφοῖν ἴῃ.

Ulixes igitur se reliquum consilium Neoptolemo explicaturum esse pollicetur, cum periculum non imminere renuntiaverit. Neque quisquam negabit illud iussum a Sophocle ideo fictum esse, ut Neoptolemus Philoctetam specu decessisse renuntiaret. Etiamsi enim ille specum tenuisset, Ulixes facere non potuisset quin hoc loco periculoso cum Neoptolemo consilia communicaret. At cum is quidem nuntiaverit (v. 31):

ὁρῶ κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα,

nihil obstat. quominus colloquium antea coeptum finiatur.

Ut autem personae ad res peragendas hunc in locum prodire possint, quaslibet fingunt causas, quibus prolatis locum magis idoneum adire non potuisse videntur.

Initio enim Aiacis Ulixes noctu Aiacem in armenta invasisse certior factus vestigia illius persecutus est, donec ad tabernaculum eius pervenit. Neque vero in tentorium ipsum intrat, sed foris vestigia illius metitur; Minerva enim illum his alloquitur verbis (v. 3—7):

καὶ νῦν ἐπὶ σκηναῖς σε ναυτικαῖς ὁρῶ
Αἴαντος, ἔνθα τάξιν ἐσχάτην ἔχει,
πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον
ἴχνη τὰ κείνου νεοχάραχθ', ὅπως ἴδῃς.
εἴτ' ἔνδον εἴτ' οὐκ ἔνδον.

Quo in discrimine Minerva eum allocuta Aiacem inesse edocet (v. 9—10):

ἔνδον γὰρ ἀνὴρ ἄρτι τυγχάνει, κάρα
στάζων ἱδρῶτι καὶ χέρας ξιφοκτόνους.

Quo colloquio apparet deam eum quamvis diu sit persecuta (cf. v. 36—37), ad Aiacis tentorium ipsum alloqui, ut ei condicionem illius explicet (cf. v. 9 sq.). Qua re Ulixes gaudio afficitur quam maximo, quippe qui non certo sciat utrum Aiax insit necne.

At num Minervam Ulixi, cum ad tentorium ipsum pervenisset, auxilio venire erat necesse? Nonne si intrare dubitaret, introspicere potuit?[1])

Immo vero per Minervam Ulixem de facinore Aiacis certiorem fieri putandum est eo tempore quo ille vestigia inimicissimi premere incipiat, non postquam iam ad finem itineris pervenerit, ubi quod dea enarrabat ipsi conspicere liceret.

Quacum re consentiunt verba ab Ulixe facta (v. 31—34):

εὐθέως δ' ἐγὼ
κατ' ἴχνος ᾠσσω, καὶ τὰ μὲν σημαίνομαι,
τὰ δ' ἐκπέπληγμαι κοὐκ ἔχω μαθεῖν ὅτου.
καιρὸν δ' ἐφήκεις.

---

[1]) Cf. v. 11—12:
καί σ' οὐδὲν εἴσω τῆσδε παπταίνειν πύλης
ἔτ' ἔργον ἐστίν, quibus illud ipsum comprobatur.

Nam Minervam *καιρὸν* advenisse Ulixi dicendum erat, si ipsum vestigia fefellissent, non postquam tentorium attigit.

Neque aliud est initium Antigonae, in quo Antigona ipsa sorori exponit, quid Creon de Polynice mortuo constituerit. Antigonam autem ipsam nescire, quidnam causae proferat, cur illam huc elicuerit, e verbis his est colligendum (v. 18—19):

καί σ' ἐκτὸς αὐλείων πυλῶν
τοῦδ' εἵνεκ' ἐξέπεμπον, ὡς μόνη κλύοις.

Sed num hic locus arbitris magis vacat quam interior domus? Minime vero, praesertim cum Creon se huc venturum esse dixerit (v. 32—33):

δεῦρο νεῖσθαι ταῦτα τοῖσι μὴ εἰδόσιν
σαφῆ προκηρύξοντα . . .

Ut igitur poeta spectatoribus persuadeat personas rebus ipsis peragendis adductas domo prodiisse, ab illis, ubi primum in scaenam processerunt, aliquid causae affertur, cur hoc ipso loco agant.

Ob eandem causam Oedipus rex in scaenam prodit, quamquam liberos supplices eum intra regiam ipsam adire par erat; quod cum fieri non posset, rex iis obviam it hanc afferens causam (v. 6—7):

ἀγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν αὐτὸς ὧδ' ἐλήλυθα.

Neque alio modo Tiresias ad regiam ducitur, qui quis Laium interfecerit aperiat. Sed vix quam ob rem arcessitus sit comperit, cum exclamat (v. 316—18)[1]):

φεῦ φεῦ, φρονεῖν ὡς δεινὸν ἔνθα μὴ τέλη
λύῃ φρονοῦντι· ταῦτα γὰρ καλῶς ἐγὼ
εἰδὼς διώλεσ'· οὐ γὰρ ἂν δεῦρ' ἱκόμην.

Quae excusatio nihil aliud sibi vult nisi ut spectatores intellegant, cur Tiresias voluntati regis obsecutus sit, quippe quem divinavisse par esset, qua de causa Oedipus ipsum arcessivisset. Sed ut Tiresias res illas foedissimas Oedipo coram spectatoribus aperiret, Sophocli quaelibet causa invenienda erat, cur ille ad regiam veniret.

---

[1]) Cf. Schneidewin-Nauck, Sophocl. Oed. R. adn. ad v. 317.

Eodem modo poeta efficit, ut Oedipus postquam ipse oculis se privavit, in scaenam domo prodeat. Ille enim ut omnibus Thebanis ostendatur, postulat (v. 1287—88):

βοᾷ διοίγειν κλῆθρα καὶ δηλοῦν τινα
τοῖς πᾶσι Καδμείοισι τὸν πατροκτόνον.

Quod illum non cupere nisi ut in scaenam procedere possit, e verbis Creontis cognoscitur, qui regem quam celerrime domum introduci iubet haec dicens (1424—27):

ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι
γένεθλα, τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
αἰδεῖσθ' ἄνακτος Ἡλίου, τοιόνδ' ἄγος
ἀκάλυπτον οὕτω δεικνύναι . . .

et v. 1429—31:

ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐς οἶκον ἐσκομίζετε·
τοῖς ἐν γένει γὰρ τἀγγενῆ μάλισθ' ὁρᾶν
μόνοις τ' ἀκούειν εὐσεβῶς ἔχει κακά.

Creon igitur nefas esse sentit Oedipum tanto scelere contaminatum ad lucem proferri. Sed quamvis postulet, ut extemplo introducatur (cf. v. 1515), tamen ille praecepto eius non prius obsequitur quam Creon se filiabus ipsius consulturum esse in scaena promiserit.

In Electra Clytaemestra se ex regia progressam esse dicit, ut Apollini supplicaret. Re autem vera eo pervenit (cf. v. 630), ut coram spectatoribus in Electram inveheretur, quamquam locus ille publicus, ut mihi quidem videtur, ad talem rixam conserendam haudquaquam idoneus erat[1]).

Neque in Oedipo Coloneo Theseum regem a quolibet advena arcessitum in lucum Eumenidum contendere veri erat simile; cf. v. 70 et 72:

OI. *ἆρ' ἄν τις αὐτῷ πομπὸς ἐξ ὑμῶν μόλοι,*
ὡς ἂν προσαρκῶν σμικρὰ κερδάνῃ μέγα;

Cui *ξένος* ille respondet (v. 73):

καὶ τίς πρὸς ἀνδρὸς μὴ βλέποντος ἄρκεσις;

---

[1]) Cf. G. Kaibel adn. ad v. 659: *„Dass das Gebet zugleich szenisch benützt wird, um die notwendige Anwesenheit der Klyt. auf der Bühne zu ermöglichen, ist freilich hier so klar wie im Oed. R.“.*

At cum fieri non posset, ut scaena ad Thesei regiam deferretur, hic autem Oedipum convenire deberet, hac de causa se huc pervenisse dicit (v. 551—54):

πολλῶν ἀκούων ἔν τε τῷ πάρος χρόνῳ
τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς
ἔγνωκά σ', ὦ παῖ Λαΐου, τανῦν θ' ὁδοῖς
ἐν ταῖσδ' ἀκούων μᾶλλον ἐξεπίσταμαι.

Ut igitur Theseus Oedipum in scaena ipsa conveniat, ille se ex nuntiis de eo sibi allatis conclusisse dicit, quis advena ille esset.

Neque raro fit, ut personae in scaenam prodeuntes ne causam quidem afferant, cur hunc locum adierint, tamquam hoc loco nullum esse aptiorem ad res peragendas planum sit.

Quae res optime initio Trachiniarum demonstratur, in quo Deianira quibus doloribus sit affecta enarrat. Nam nonne multo veri similius id intra regiam gestum esset[1]), ubi regina famulaque solae essent, cum huc omnes homines commearent?

Neque cum Hercules doloribus cruciatus spectatoribus producendus esset, fieri potuit quin ex Euboea reduceretur. Itaque Herculem ibi haec ipsum oravisse atque obsecravisse Hyllus narrat (v. 799 sq.):

ἀλλ' ἆρον ἔξω, καὶ μάλιστα μέν με θὲς
ἐνταῦθ' ὅπου με μή τις ὄψεται βροτῶν·
εἰ δ' οἶκτον ἴσχεις, ἀλλά μ' ἔκ γε τῆσδε γῆς
πόρθμευσον ὡς τάχιστα, μηδ' αὐτοῦ θάνω.

Quibus verbis quamquam ab Hyllo nihil petivit nisi ut ab insula amoveretur, tamen filius patrem Trachinem transvexit (cf. v. 803); quo modo fit ut Hercules ubi primum experrectus est nesciat ubinam sit (v. 983—86):

ὦ Ζεῦ,
ποῖ γᾶς ἥκω; παρὰ τοῖσι βροτῶν
κεῖμαι πεπονημένος ἀλλήκτοις
ὀδύναις;

Eandem rationem in initio Electrae adhibitam invenimus,

[1]) Vide quod p. 22 de hoc loco exposui.

in quo paedagogus Orestem Pylademque monet, ut iam quidnam facturi sint constituant (cf. v. 15—22)[1]. Sed num est veri simile eos ad aedes Aegisthi ipsius inter sese colloqui, quem ad modum illum trucidaturi sint?

Neque facile quispiam crediderit illos, priusquam huc pervenissent, nunquam eam ipsam rem verbis tetigisse, propter quam Delphis Argos iter fecissent[2]. Quod poetam ipsum sensisse intellegitur ex verbis paedagogi his (v. 21—22):

ἐνταῦθ' ἐμέν,
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Neque aliter Ulixes se gerit, qui cum initio Philoctetae sortem illius explicare coeperit, ipse mediam narrationem interrumpit, cum dicat (v. 11—12):

ἀλλὰ ταῦτα μὲν τί δεῖ
λέγειν; ἀκμὴ γὰρ οὐ μακρῶν ἡμῖν λόγων[3].

Atque simile exemplum exstat alio eiusdem fabulae loco. Postquam enim Ulixes et Neoptolemus sagittis Philoctetae sublatis iam ad oram maritimam sese contulerunt, ubi quae ad navigandum opus essent pararent, denuo ad specum reversi haec inter se colloquuntur (v. 1222—24):

ΟΔ. οὐκ ἂν φράσειας ἥντιν' αὖ παλίντροπος
κέλευθον ἕρπεις ὧδε σὺν σπουδῇ ταχύς;
ΝΕ. λύσων ὅσ' ἐξήμαρτον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ e. q. s.

Nunc igitur, cum ad finem itineris pervenerunt, Ulixes ex Neoptolemo cur huc redierit quaerit? Totumne per iter a navibus ad specum factum tacuerunt? At quaecumque Ulixes Neoptolemum hoc loco interrogat, ad naves ipsas interrogare debuit, simulatque ille sententia de sagittis rapiendis mutata inde decedere conatus est. Sed cum hanc ob rem scaena esset mutanda, illi eam rem de qua iam ad oram maritimam colloqui debuerunt, ad specum ipsum peragunt.

---

[1]) Cf. G. Kaibel adn. ad v. 21: *„Es ist einfach szenischer Zwang, dass die Ankömmlinge gerade vor dem Palast, dem ihnen gefährlichsten Ort, ihre Reden führen“.*

[2]) Cf. G. Kaibel l. c. p. 66.

[3]) Cf. Schneidewin-Nauck, Sophocles Electra [8] adn. ad v. 22, qui similia exempla in fabulis Graecorum exstantia afferunt.

In Oedipo vero Coloneo rex ipse postquam Theseum filiasque se ad eum locum sequi iussit quo moriturus esset (v. 1540 sq.), dicit (v. 1552—55):

ἀλλά, φίλτατε ξένων,
αὐτός τε χώρα θ' ἥδε πρόσπολοί τε σοὶ
εὐδαίμονες γένοισθε κἀπ' εὐπραξίᾳ
μέμνησθέ μου θανόντος εὐτυχεῖς ἀεί.

Quamquam igitur Theseum oravit, ut ipsum comitaretur usque ad locum mortis suae, tamen iam in nemore ipso eum valere iubet, non quo alter ab altero statim discedat, sed quod Oedipus una cum Theseo postea non iam in scaena erit; neque enim locus ille desertus quo moreretur repraesentari poterat (cf. v. 1640 sq.).

Neque in fine fabulae alia est causa, cur Oedipo mortuo Antigona et Ismena et postea Theseus ipse in eundem locum quo ante res gesta est redeant (v. 1670). Nam quominus ubi Oedipus mortem obiisset remanerent, res scaenicae obstabant.

Saepissime accidere consentaneum est, ut quae personae plurimum valent ad res gerendas, eae loco quo antea egerunt decedere rebus ipsis cogantur. Quam ob rem cum fieri non possit, ut res quae sequuntur alio loco agantur, personae illae causis fictis in scaena remanere solent.

Postquam enim Electra fratrem Delphis curru certantem mortem occubuisse a paedagogo certior facta est, eam dolore oppressam loca deserta petere veri simillimum erat.

Quam cum in scaenis quae sequuntur adesse necesse sit, poeta haec facit dicentem (v. 817—19):

ἀλλ' οὔ τι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου
ξύνοικος, ὄμνυμ', ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ
παρεῖσ' ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον.

Atque etiam in Philocteta scaena mutanda erat, si chorus nautarum, id quod par fuit, Ulixem et Neoptolemum ad naves decedentes secutus esset. Quod ut prohibeatur, Neoptolemus nautas his verbis hortatur (v. 1075—80):

ὅμως δὲ μείνατ', εἰ τούτῳ δοκεῖ,
χρόνον τοσοῦτον, εἰς ὅσον τά τ' ἐκ νεὼς
στείλωσι ναῦται καὶ θεοῖς εὐξώμεθα.

χοῖος ἰὰχ' ἂν φρόνησιν ἐν τούτῳ λάβοι
λῴω τιν' ἡμῖν. τὼ μὲν οὖν ὁρμώμεθοι.
ὑμεῖς δ', ὅταν καλῶμεν, ὁρμᾶσθαι ταχεῖς.

Neoptolemus igitur se chorum hoc loco deseruisse simulat precibus Philoctetae victum atque spe adductum fore ut ille sententiam mutet.

Re autem vera id a poeta ita instituitur, ut choro eundem retinente locum etiam reliqua fabulae pars ad specum Philoctetae agatur.

Cuius rei gravissimum exemplum praebet Oedipus Coloneus.

Quamquam enim Oedipus Creontem brevi adventurum esse, ut ipsum Thebas reduceret, ex Ismena audivit, atque Theseus arbitrio ipsius permisit, ut vel in nemore remaneret vel se ad regiam sequeretur (v. 638 sq.), ille tamen hunc locum obtinere pergit, Theseo autem monenti respondet haec (v. 644 et 46):

εἴ μοι θέμις γ' ἦν· ἀλλ' ὁ χῶρός ἐσθ' ὅδε
ἐν ᾧ κρατήσω τῶν ἐμ' ἐκβεβληκότων.

Quam excusationem quin Sophocles ob eam solam causam finxerit, ut Oedipus etiam in reliqua fabula locum illum teneret, dubium esse non potest. Nam quod Oedipum in nemore Eumenidum de vita esse decessurum oraculo praedictum erat, non obstabat, quominus in Thesei fidem se conferret, donec periculum quod imminebat tolleretur.

Simili modo poeta prohibet ne personae ad res peragendas domum ipsam introeant.

Tecmessa enim chorum de facinore Aiacis nocturno edoctum in tentorium intrare iubet his verbis (v. 328–29):

ἀλλ', ὦ φίλοι, τούτων γὰρ εἵνεκ' ἐστάλην,
ἀρήξατ' εἰσελθόντες, εἰ δύνασθέ τι.

Quod cum per res scaenicas fieri non potuerit, chorus eam orat, ut ianuam tentorii aperiat; qua re efficitur, ut Aiax aspectu nautarum illorum commotus in scaenam procedat.

Deinde in Antigona chorus nuntiusque cum repentino Iocastae abitu perterriti iamiam domum introituri sunt, Creon cum Haemonis Antigonaeque corporibus exanimatis apparens illos ne id quod sibi proposuerunt perficiant prohibet (v. 1257 sq.).

Atque in Trachiniis chorus Deianiram, cui nuntius fraudem Lichae aperuit, introire iubet, ut ex hoc quod nuntiavit num verum sit necne quaerat (v. 387—88):

πεύθου μολοῦσα τἀνδρός, ὡς τάχ' ἂν σαφῆ
λέξειεν, εἴ νιν πρὸς βίαν κρίνειν θέλοις.

Qua re cum pars sequens fabulae intra domum fuisset agenda, Sophocles Licham ipsum domo prodeuntem fecit, qui haec dicit (v. 393—94):

τί χρή, γύναι, μολόντα μ' Ἡρακλεῖ λέγειν;
δίδαξον, ὡς ἔρποντος εἰσορᾷς ἐμοῦ.

Ne igitur scaena mutetur, Lichas qualibet de causa domo progressus impedit quominus Deianira intret.

Quod alio eiusdem fabulae probatur loco: quamquam enim Deianira Licham in regiam intrare iusserat hac allata causa (v. 492—95):

ἀλλ' εἴσω στέγης
χωρῶμεν, ὡς λόγων τ' ἐπιστολὰς φέρῃς,
ἃ τ' ἀντὶ δώρων δῶρα χρὴ προσαρμόσαι,
καὶ ταῦτ' ἄγῃς,

tamen cum choro de rebus intra regiam gestis collocuta scaena non decedit, sed cunctatur, donec Lichas ipse egrediatur, haec interrogans (v. 598—99):

τί χρὴ ποεῖν; σήμαινε, τέκνον Οἰνέως,
ὡς ἐσμὲν ἤδη τῷ μακρῷ χρόνῳ βραδεῖς.

Iam videamus, qua utatur arte Sophocles, cum personae visendi causa homines intra aedes versantes adeunt, sive quibus quid alio sit gestum loco renuntient sive quibuscum de aliqua re colloquantur.

Cum enim ante aedes semper chorum conveniant, ab eo domum intrare prohibentur, donec quem petituri sunt ipse seu casu seu qualibet de causa in scaenam progressus cum iis ad regiam de illis rebus colloquitur, quae, si scaena mutari potuisset, intra regiam acta essent[1]).

In Antigona enim custos qui virginem in Polynice sepeliendo deprehensam adducit, chorum his alloquitur verbis (v. 384-85):

[1]) Vide quae hac de ratione infra explicabo.

ἥδ' ἔστ' ἐκείνη τοὔργον ἡ ᾿ξειργασμένη·
τήνδ' εἵλομεν θάπτουσαν. ἀλλὰ ποῦ Κρέων;

Cui chorus haec respondet (v. 386):

ὅδ' ἐκ δόμων ἄψορρος εἰς δέον περᾷ.

Non igitur custos in regiam pergit, ubi Creontem esse scit, sed choro cur Antigonam reduxerit nuntiat, ut Creonti ad ipsum exeundi facultatem det.

Neque aliter se gerit nuntius qui Antigonae et Haemonis mortem renuntiat. Qui dum brevibus verbis choro omnia explicat (v. 1155 sq.), Eurydica cui ante omnes nuntium afferre debuit, quam in calamitatem maritus incidisset, foras exit fando se malum illud audivisse dicens (v. 1183 sq.). Tantum igitur abest ut nuntius ad Eurydicam edocendam domum intret, ut illa ad eum prodeat.

Sed fatendum est poetam non male fecisse, quod chorum Thebanorum primum de calamitate illa certiorem fecit, quippe quorum permultum interesset scire quid rex egisset.

Etiam in Oedipo Rege Creon, qui regis visendi causa ad regiam contendit, chorum Thebanorum foris convenit eidemque quam ob rem adsit exponit (v. 512—14):

ἄνδρες πολῖται, δείν' ἔπη πεπυσμένος
κατηγορεῖν μου τὸν τύραννον Οἰδίπουν,
πάρειμ' ἀτλητῶν.

Atque dum Creon ex choro singulas res quaerit, — ut Oedipo facultas detur domo prodeundi, — rex ipse casu advenit choro exclamante (v. 531):

αὐτὸς δ' ὅδ' ἤδη δωμάτων ἔξω περᾷ.

Quam ad rationem adhibendam se rebus scaenicis coactum Sophocles haudquaquam prodit; quin etiam illa re summo cum ingenio utitur, ut chorus Creontem ira Oedipi affectum placet, priusquam ille in hunc invehatur.

Neque aliam secutus rationem nuntius Corinthius ad regiam sistit pedem chorumque haec interrogat (v. 924—26):

ἆρ' ἂν παρ' ὑμῶν, ὦ ξένοι, μάθοιμ' ὅπου
τὰ τοῦ τυράννου δώματ' ἐστὶν Οἰδίπου;
μάλιστα δ' αὐτὸν εἴπατ', εἰ κάτισθ' ὅπου.

Sed ne nuntius choro sibi ignoto illam rem exponeret, quae ad solum Oedipum Iocastamque pertineret, neve, id quod plerumque fieri solet, Oedipus casu domo exiret, Sophocles id egit, ut paulo ante Iocasta precandi causa (cf. v. 919) prodiret[1]); quae postquam omnia comperit, Oedipum e regia evocat, ut et ipse quid nuntius rettulerit audiat (v. 945—49).

Neque vero temere aut nullo usus consilio Sophocles necessitati illi scaenicae paret, sed ita ut simul vim actionis augeat.

In Electra enim Orestes, ut fieri solet, sororem orat ut Aegisthum domo evocet (v. 1106—07). Quo modo cum inter sese sermonem conserant, denique efficitur, ut soror fratrem cognoscat. Praeterea postquam Aegistho percontato (v. 1450):

ποῦ δῆτ' ἂν εἶεν οἱ ξένοι; δίδασκέ με

Electra respondit (v. 1451):

ἔνδον· φίλης γὰρ πρόξενον κατήνυσαν.

ille regiam non ingressus foris quaerere pergit, num re vera illi Orestis corpus secum attulerint. Quod ut videret, simulatque Aegisthus ianuam aperiri iussit, non, quod exspectaverat, aspicit Orestem mortuum sed vivum.

Denique Sophocles ne scaenam mutaret, eo usus est artificio, ut exemplum secutus Aeschyli nuntium adhiberet, qui quae interim alio loco essent gesta narraret[2]). Sed quo manifestiores res nuntiatas reddat, Sophocles personas de quibus ille nuntium attulit ipsas in scaenam procedentes malumque in quod inciderunt lugentes facit; nam postquam Haemonem et Antigonam diem supremum obiisse nuntiatum est (Antig. 1155—1243), Creon ipse cum corporibus illorum reversus lugubre mortuorum fatum cum choro conqueritur.

Atque alii eiusmodi loci Sophoclei exstant hi:

---

[1]) Eadem ratio in Electra adhibita est (cf. p. 35).

[2]) Cf. Hornung, de nuntiorum in tragoediis Graecis personis et narrationibus, Progr. d. Ritterakad. zu Brandenburg a. H. 1869.

Bernhardy, Grundriss der griech. Liter. [3] II 2 p. 232.

Th. Bergk, Griech. Literaturgesch. III p. 208 adn. 66.

Dom. Bassi, il nunzio nella tragedia greca, Riv. di filol. XXVII (1899) p. 50 sq.

Trachin.
1. Hyllus Deianirae quid vestimento misso effecerit, renuntiat (v. 749 sq.).
2. Hercules ipse apparet quibusque doloribus sit excruciatus, una cum choro lamentatur (v. 983 sq.).

Oed. Reg.
1. Oedipum oculis se privavisse nuntiatur (v. 1223 sq.).
2. Rex ipse in scaenam prodit atque cum choro κομμὸν agit (v. 1307 sq.).

Oed. Col.
1. Nuntius quem ad modum Oedipus ad inferos descenderit renuntiat (v. 1579 sq.).
2. Antigona et Ismena cum choro κομματικῶς sortem suam lugent (v. 1670 sq.).

Ita duas illas res inter se diversissimas, narrationem epicam et querelas lyricas, accurate disiungi videmus. Qua in ratione, quippe quam Sophocles eodem modo sequatur atque Aeschylus Euripidesque, vestigium inesse mihi videtur antiquissimae illius tragoediae, quam eo modo natam esse constat, ut ad chorum canentem persona accederet, quae cum illo aliquid communicaret.

Itaque pro certo habeo nuntii partes iam in antiquissima fuisse tragoedia [1]). Quae etiam retinebantur, postquam actore altero invento non solum chorus id quod alio gestum erat loco versibus lyricis persequebatur, sed res ipsae in scaena peragebantur. Nisi enim nuntii partes cum tragoedia ipsa enascente artissime cohaererent, saepe intellegi non posset, quo consilio ille adhiberetur, praesertim cum, postquam omnia plane ac perspicue per nuntium explicata sunt, personae de quibus ille verba fecit, ipsae in scaenam progressae lyricis modis id lugerent, quod nuntius epica narratione rettulisset.

Ab hac ratione abhorret Aiax fabula, in qua spectatores illum sibi mortem conscivisse non per nuntium certiores fiunt, sed scaena mutata ipsum conspiciunt, cum gladio se immittit (v. 815) [2]). Quod Sophocles consulto novavit. Nam in Aeschyli

---

[1]) Qua de re consentio cum H. Hornung l. c. p. 4—5.

[2]) Cf. schol. ad v. 815: *μετακινεῖται ἡ σκηνὴ τοῦ χοροῦ ἐξελθόντος — μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπὶ ἐρήμου τινὸς χωρίου.*
Lobeck, Soph. Aiax [3] adn. ad v. 813. Nilsson l. c. p. 37 sq.
Bodensteiner l. c. p. 651. Dörpfeld-Reisch l. c. p. 212.

fabula *Θρῇσσαι* quae in eodem versabatur argumento, Aiacem ipsum se necavisse per nuntium relatum erat.

At cum Sophocles hanc rem ipsam spectatoribus ante oculos ponere ausus sit, fieri non potest ut existimemus plerumque personas ideo loco a conspectu spectatorum remoto manus sibi inferre vel alios trucidare, ne spectatores quae foeda sint aspectu oculis videant[1]). Nam si Graeci a tali conspectu abhorruissent, cur haec inter praestantissimas poetae fabulas reciperentur, haud facile explicari posset. Mea quidem sententia eius modi res alio loco peragi solent cum ob alias causas[1]) tum quia poetae inopia et egestate rerum scaenicarum impediebantur quominus, ut exemplo utar, in Trachiniis Herculem ipsum producerent, cum Licham ad Euboeae scopulos iaceret. Itaque ad spectatores de illis rebus edocendos nuntium adhibebant[2]), cuius narratione satis perspicua atque expolita Graecos formae ipsius amantissimos non minus delectatos esse credi potest quam rebus ipsis ante oculos positis.

---

[1]) Vide p. 17—18.

[2]) Schol. ad Aiacis v. 815: *ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια, εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι' ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν.*

Vita

Natus sum Guilelmus Felsch in oppido Borussiae Occidentalis, quod Konitz vocatur, a. d. IV. Kal. Mart. anni 1882 patre Guilelmo, matre Laura e gente Kühn, quos ambos adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium Conimbriense adii. Autumno anni 1902 maturitatis testimonium adeptus postquam per sex menses in universitate litterarum Berolinensi studiis philologicis incubui, vere anni 1903 nostram almam matrem Vratislaviensem petivi.

Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal, R. Heinze, Helm, Hirschfeld, O. Hoffmann, Jacoby, Kaufmann, Menzer, Muther, Norden, W. Schulze, Skutsch, Wilamowitz, Zacher.

Seminariorum philologici, archaeologici, historici, philosophici sodalis fui ordinarius moderantibus Cichorio, Ebbinghausio, Foerstero, Kaufmanno, Nordeno, Skutschio.

Dissertatio mea a summo philosophorum ordine referente Foerstero probata est, examen rigorosum a. d. III. Id. Quintiles anni 1906 absolvi. Viris illis omnibus gratiam habeo maximam, in primis autem Nordeno, qui ut me ad hanc commentationem scribendam incitavit, ita semper per campum studiorum dux mihi fuit certissimus, neque minus Foerstero, qui in dissertatione edenda benigne me adiuvit.

Sodalicio philologorum Vratislaviensi quantum debeam, semper me memorem fore profiteor.

Theses

1. Theatrum saeculi a. Chr. V. aulaeo caruisse ex fabulis ipsis illius aevi concludendum est.
2. In Aesch. Sept. v. 240 lectionem codicis Medicei tenendam esse censeo:

   ταρβοσύνῳ φόβῳ τάνδ' ἐς ἀκρόπολιν.

   – ⏑́⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏓

3. Quod Horatius testudinem laborum dulce lenimen appellat (carm. I 32, 14—15), non e suo ingenio finxit, sed e carminibus Alexandrinis hausit (cf. Bion. id. 10, 2—3, Theocr. id. 11, 1—3).
4. Ciris carminis v. 177 (nulla colum novit . . .), quo quemadmodum se gerat puella desiderio affecta enarratur, consentit cum fragmento Sapphico 90 (B [4]):

   Γλύκεια μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον,
   πόθῳ δάμεισα παῖδος βραδίναν δι' Ἀφρόδιταν.

5. Meleager poeta cum apem his alloqueretur verbis (Anth. Pal. V 163, 3—4):

   Ἦ σύ γε μηνύεις, ὅτι καὶ γλυκὺ καὶ δυσύποιστον
   πικρὸν ἀεὶ κραδίᾳ κέντρον Ἔρωτος ἔχει;

   memor erat loci illius Sapphici (fr. 40 B [4]):

   Ἔρος δ' αὖτέ μ' ὁ λυσιμέλης δόνει
   γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.

Typis expresserunt Maretzke et Märtin Trebnicenses